

Q. N. 365, 3.
890.

X 1881551

II m
534

INSIGNIA TVRCICA

ex variis superstitionum tenebris,
ORIENTALIVM MAXIME POPVLORVM,
GEMINA DISQUISITIONE ACADEMICA,
IN ILLVSTRI SALANA,
nunc primum in lucem protracta.



AD SVMMVM VIRVM,
PHILIPPVM IACOBVM SPENERVM,
SS. THEOL. DOCTOREM,
ECCLESIAE FRANCOFVRTENSIS
ANTISTITEM VIGILANTISSIMVM,
ARCANORVM ARTIS HERALDICAE
SCRVTATOREM INCOMPARABLEM,
LITERARVM PATRONVM,
ET IPSVM LITERATISSIMVM SINGVLAREM.

J E N A E,
E COLLEGIO MVSARVM KREBSIANO.

49.



Fragment of text from the reverse side of the page, visible through the paper. The text is in a Gothic script and includes the letters: M, W, b, i, K, H, t, E, S, t.



VIR MAXIME REVERENDE,



VNCTA RE-
FVNDIT,

quodcunque Solis
splendori subiici-
tur corpus. Præci-
pue LVNA, quic-
quid in synodo a

Mæcenate suo hauserit luminis, il-
lico reddit. Idem etiam Microcosmo-
hominem quem dicimus, convenire a,
iunt. Hinc in sacris Ioab, postquam
Rabbath civitati, Philadelphicæ alias
Ptolemæo & Eusebio dictæ, aquam in-
tercepisset, Davidi mox nunciat, ut ar-
Etatam iam Urbem, Rex ipse caperet: ne
scilicet sua videretur victoria. Simili-
ter & M. Vipsanius Agrippa, Augusti
a 2 Gener,

Gener, & Hispanorum Domitor, ut mi-
nistri, rei præclare gestæ, Dominorum
suorum reservarent nominibus, & serio
monuit, & exemplo suo docuit. Sileo
Iulium Agricola, & Germanorum
priscos, quos nunquam gestis in suam
exultasse famam, Tacitus pronunciat.
Convenientissime omnium, LVNÆ
hoc symbolum exprimere videntur, qui
ad æternum illum SOLEM, ceu Helio-
tropia, Christiana Pietate, irrequietos
se totos convertunt. Ioannem sane Ba-
ptistam in eo prælucentem habent, qui
omnes illos diuinitatis radios, quibus
coruscare eundem vellent Iudæi, in ex-
ortum, & Palæstinam iam illustrantem
IVSTITIÆ SOLEM, procul repressit.
IV quoq;, RELIGIOSISSIME SPE-
NERE, dum præter ordinarium mu-
neris sacri pensum, cælestis veritatis ra-
dios, auersis etiam a Patre illo Lumi-
num,

num, per varia PIETATIS EXER-
CITIA, denuo instillas: dum ea, qui-
bus TE Fons diuinæ bonitatis im-
plet, in egenos & Religionis causa Pa-
tria pulsos, liberaliter erogas; adeo, ut ne
TURCAM quidem vacuum abire sinas,
ab omnibus merito PATER PAU-
PERVM prædicaris, diuinog Numi-
ni CUNCTA REFUNDIS! Quid
dicam de Ore TVO Apostolico, ex um-
bone sacro tonante? Quid de vitæ
tenore, plusquam humano, commemo-
rem? Quid de scriptis, quibus litera-
tum orbem dudum impleuisti, quorum
pio & cœlesti Spiritu abreptus, im-
memor sæpe mei vixi? certe, quot perio-
dos, tot diuini amoris spicula, in animos
scrutantium euibrant. Certant enim
in iis de primatu, tres illæ minime fa-
bulosæ Charites: RELIGIO scilicet
cum Diuinæ Humanæque Scientiarum

DOCTRINA *uniuersa*, & POLITI-
CA facultas, ut *unaquæque* harum
principatum sibi vindicasse videatur;
Teque adeo sigillatim *uni earundem*,
non TUI IPSIVS vitæ modo spatium,
sed plurimorum seculorum studium, &
conatum omnem impendisse censere li-
ceat. Tanta est sublimioris TUÆ
Mentis amplitudo! Tanta divini TUI
Pectoris capacitas! Enimvero, obsecro,
quem mihi dabis Virum, tot curis Theo-
logicis implicitum, qui nihilominus tot
diversas GENEALOGIAS Princi-
pum Germaniæ, tam felici conatu evol-
uerit, euolutasq; publici fecerit iuris? qui
arcana ARTIS HERALDICÆ, seu
reconditæ & Regiæ huius DE INSI-
GNIBUS Scientiæ partes ita perscru-
tatus sit & detexerit? TU præterea, SA-
PIENTISSIME SPENERE, in-
comparabili illo DE PRAXI VERI
CHRI.

CHRISTIANISMI opere; ut & difficil-
lima DE IVSTIFICATIONE contro-
uersia, in Theologiæ adyta, si quid suspi-
cari possum, intime penetraſti; & æque
in promptu TIBI eſſe, Heterodoxorum
elenchos & ſophismata diſſoluere, quam
Orthodoxorum PIOS CONATUS iu-
uare, & interrogantibus ſatisfacere, ma-
gna ingenii acrimonia docuiſti: TU O-
RATIONIBVS PARAENETICIS,
EVNEBRIBVS, ac infinitis aliis, Sacræ
Scripturæ interpretibus: TV PIIS DE-
SIDERIIS & IDEA VNIVERSALIS
THEOLOGIAE, ita hominis Chriſtiani
& Miniſtrorum Verbi demonſtraſti offi-
cia, ut tum demum, quæ ſint Theologiæ
ſtudioſi requiſita intelligerem, cum au-
reolum hunc libellum euoluerem. His
accedit admiranda TV A Humanitas,
& pene dixerim erga quosuis familiari-
tas & reuerentia, quæ bonorum omnium
amo-

amorem **TIBI** cultumque conciliant.

Nemo igitur miretur, exterum hominem, obscuras has de **TVRCICA LVNA** chartas, æternaturæ splendori **TVO** exponere, nihil enim salutaris, pro detestanda hac superstitione, Civibus suis, in ultimo Europæ angulo, sub Turcico iugo gementibus, excogitare potuit, quam si Pietatis **TVÆ** exemplar, & virtutum **TVARVM** fulgidissimum iubar, omnibus spectandum imitandumque sisteret. Præterea, **LVNA** hæc, propria luce destituta, ut alieno coruscaret lumine, ex **ARTE TVA HERALDICA**, immortalis opere, deducere id omne conata fuit, cuius nunc grata Mente memor, cum omnigenæ prosperitatis voto, in sinum **CVNCIA REFVNDIT!**

MAXIME REVERENDAE DIGNITATIS TVAE,

omni studio & cultu dedicatissimus

M. PAVLVS PATER, HVNGARVS,



I. N. I.

PROOEMIUM.



Uodnam potissimum ar-
gumentum, pro rostris Acade-
micis ventilandum mihi seli-
gam, non iniuria, inter tantas
presentis temporis difficulta-
tes, ambigo. Video equidem
commilitonum quosdam, oculis
in caelum sublatis, eorum po-
tentias erudite monstrasse ;
video alios, Heroum & Prin-
cipum gesta, multis celebraſſe laudibus ; video plerosque, Pa-
tria in historia, cum cura elaboraſſe maxima ; nonnullos et-
iam, ceu fieri ſolet, iis in rebus, quibus vita haec tuto carere po-
teſt, ſtadium atque induſtriam poſuiſſe omnem, video. Non va-
num proinde foret conſilium, ſi petita ex natali ſolo materia,
qualeſcunque ingenii vires periclitarer. Neque id difficile fu-
turum ſperavi, cum haut ingrata, ſive de admirandis Hunga-
ria montibus, aquis pariter ac fontibus, iam pridem locis inſer-
ta communibus, poſſideam ; ſive de inteſtinis Regni motibus,
eorumque cauſis, progreſſu, euentuque, ſi modo calamitoſum,
preſentis temporis punctum ita ſignare liceat, ex auctoꝝ ſua & ge-
nuinis rerum documentis, non infeliciter, ceu equidem puto, de-
lineauerim. Verumenimvero, audio quosdam eſſe, qui, Iliada
poſt Homerum ſcribere me conari, iudicant, quando exteri in
A bis

2.
bis rebus utramque paginam pridem fecerint. At dicant
quod res est, tales fere illi sunt, qui chartas & Bibliopolarum
forulos turgescere hætenus fecere, inexperti scilicet Iurium,
Hungaricorum, Decretorum, Statutorum, Articulorum, ut ipsi
loquuntur, per tot secula frequentatorum. addo, rerum gesta-
rum experientia, alieni quam maxime juxta & ignari. Hinc,
nō modo multa inconuenienter, nec justo ordine dixere; sed ma-
gna insuper mendaciorum monstra, Historici ejusmodi venales,
pro veris manifesto asseruere. Quia vero, in alea tam peri-
culosa, fluctuantem tantisper cohibere calamum, & post sipari-
um delitescere præstat, donec mota rerum facie, calorem conci-
piat animus, & ad propalandum excitetur; in præfenti, corpore
licet, mente simul a patria non procul abiturus sum. Nam, cum
potior HVNGARIÆ pars, Barbarorum furori pridem, eheu!
cesserit, una cum Religione, Tessera simul Christianismi, quæ alias
Sacri & Apostolici huius regni insigne, cessit; & eius loco LV-
NÆ simulacrum in turrium pinnis, propugnaculis, in sceptris ac
Vexillis, sacris & profanis adibus, TVRCÆ contemplandum
erexerunt. Mira vero & incondita quævis de viribus huius si-
deris blaterant; eiusque effigiem amuleti vel ancilis instar,
perinde ac Iudæi & Pontificii sua Φυλακήρα, itemque Agnus
DEI, uti vocant, fascini amoliendi gratia, feminis & infanti-
bus de collo suspendunt. Quemadmodum autem, occupato o-
rientis Imperio, orbem uniuersum, ad se pertinere, ωεφδοσ
non admodum iusta, contendunt infideles: ita si quem apud no-
strates Lunæ simulacro insignitum conspexerunt locum, ut supe-
riori proxime seculo ad Austriæ Viennam, in famosa illa diuo
Stephano sacra turri accidit, sibi eundem iure deberi, illico
clamitant. Atque hinc est, quod omnia illa, quibus insigne hoc
superimpositum, sarta teclaque præstare soleant. Cuius rei
exemplum, in iterata Viennensium obsidione vidimus, quum
bene multa adificia, tentorio a Solymano quondam excitato,
hocque

3.
hocque insigni exornato contigua, ceteris igne & ferro circum vastatis undique, ob id salua, ut publica referunt tabula, o) perstitere.

Hanc itaque LVNAM CVRVATAM in CORNVA, seu, ut barbare loquar, CORNICVLANTEM, INSIGNE TVRCARVM, Academica dissertatione, publico eruditorum examini subiicere, animum induxi. Ut autem de toto hoc negotio rectius constet, quicquid de LVNA hac TVRCICA in rem presentem adducturi sumus, in quattuor potissimum sectiones dispescemus, quæ singule, ad analogiam corporis ætherii, XXVII. Phasibus suam absoluent periodum, quarum varietas, vno velut intuitu, in Panselino representabitur: agit autem sectio

I. de inuentoribus & variis insignium fontibus.

II. de primo LVNÆ TVRCICÆ auctore.

III. de colore & externa insignium Turcicorum specie.

IV. de conuenientia LVNÆ cum imperio Turcico.

Illud autem in ipso limine, L. B. impetratum volo, ne Theologorum messi falcem nos immisisse putes, si quando pro illustranda antiquitate huius argumenti, de variis Deorum gentilium nominibus, ex historia sacra nonnulla in medium protulerimus. non probamus, non excusamus, non defendimus graues eorum errores, qui ex fonte sacrarum literarum vnum

DEVM esse colendum didicimus, quem TER OPT. MAX
 supplices inuocamus, ut TVRCICAM LVNAM, quæ supe-
 riori proxime anno, ingentem passa est Eclpsin, porro vexa-
 re pergat. donec tandem, ad SACRA A QVILAE atque
 LEONIS, imo totius Cœli exercitus INSIGNIA, pallida
 tota, penitus obscuretur. Atque sic Tarnuti, apud Ciceronem
 vaticinio, qui ortam dixit Romam, in Iugo cum esset Luna,
 THRACICAM, o utinam, sub Iugum mittat LVNAM!
 quo contumacissimum hoc Sidus, extra spheram Ciuitatis suæ, lon-
 gius hætenus evagando, ipsumque Iugum, quod idem ac cœlestis
 Libra, 2) temere nimis transiliens, in Scorpionem, aut si anti-
 quorum placet opinio, Libram & Scorpionem in unum redi-
 gentium, 3) in Sagittarium se incidisse, graviter sentiat: qui
 proprio radiorum lumine, veluti sagittis, nothum prorsus obsu-
 scauit; ut posteris nunc documento sit, ne cum Orione sibi nimi-
 um confidat. 4) GEMINA adhuc APOSTOLICI REGNI
 CRUX, quam inter astra pridem retulere, 5) ILLIVS e tene-
 bris perpetuo LIBERATA REFVLGEAT! & QVA-
 DRA ILLA FLVMINVM, SACRVM HOC INSIGNE,
 ad Orientem cum gloria, quasi postliminio, deuehat! Annuat
 bis DIVINVM NVMEN, & cœptis nostris benigne ut ad-
 spiret, deuota mente precamur: 6)

OMNIPOTENS, precibus si flecteris ullis,
 adspice nos, hoc tantum, & si pietate meremur,
 da deinde auxilium, PATER, atque hæc omnia firma!

o) Vienna d. XXX. Septembr.
 1683.

1) Cicer. lib. II. de diuinat.

2) Stæphler comment. in Procl.
 spher.

3) Hygin. astron. cap. XXVI.

4) N. Comes mythol. lib. II.
 cap. 12.

5) W. Schikard. astroscop.
 in cygno.

6) Virgil. Æneid. lib. II. v. 689.

SECTIO

SECTIO I.

*De inuentoribus & variis insignium
fontibus.*

ΠΑΝΣΕΛΙΝΟΣ.

- Φ** *Α* *σ* *ς* I. Verborum in doctrina fructum sistit.
- II. Insignium Etymologiam flexionemque exhibet.
- III. Homonymiam ex sacris & profanis scriptoribus, prolixè ostendit.
- IV. Eorum Synonymiam Hebræam, Græcam, Latinam & Germanicam.
- V. Difficultas in armorum origine indaganda, gemino illustratur simili.
- VI. An e vexillis Israëliitarum, Athanasii Kircheri testimonio, certi quidpiam hac in re deprobi possit? dubitatur.
- VII. An David, Rex & Propheta, primus horum fuerit inuentor, & quibus id probari possit rationibus? *דָּוִד* seu *scutum David* repræsentatur: Magistratus Christiani, de abusu huius in restringendo incendio, admonentur: P. I. SPENERI zelus laudatur: de pentagrammi figura & usu, vulgo *der Drudensfuß* appellatum, disseritur.
- VIII. An vestigia moris huius, iam apud Ægyptios exstiterint? ac cur militiæ Duces animalium figuras vexillis suis intexerint? & annon symbolico rectius cum illustrissimo BERNIO interpretanda veniant sensu?
- IX. Ab his Græcos, cum primis vero Troianos accepisse, nonnulli tradunt.
- X. Alii ad Asyrios & Babylonios; Cares, Pictos, Appium & Claudium alii, originem referunt.
- XI. E bellica virtute, præmiisque militaribus cœpisse, vel in ipsa Germania, Henrici Aucupis exemplo, vero perquam similiter statuitur.
- XII. Qui tamen ex avita gentium consuetudine natales arcessunt, & exemplo Sinensium & Americanorum id probant, eorum opinio maxime placet.
- XIII. Causæ & fontes Armorum, pro natura soli & ingeniorum, diuersitate, mire variant, quod longa exemplorum inductione probatur.
- XIV. Cum primis vero Græciæ, Transilvaniæ, Bohemiæ populorum; Martia virtute, sæva animalia

nimalia insignium loco ducen-
tium, firmatur.

XV. Sanctam Crucis figuram, Con-
stantinus Imperator, Stephanus
Hungariæ Rex, Duces Saxoniz,
his literis C. C. N. S. ob singu-
larem pietatis ardorem, Impe-
rii sui constituere materiam in-
signium.

XVI. Aliis natiuitas adsumendo-
rum insignium causa fuit,
quod Dracone Alexandri M; A-
ratro Phrygum Regis Gordii, &
Willigisii, primi Moguntinen-
sium Electoris Rota illustratur.

XVII. Lecho, Polonorum Regi,
ominosus aquilarū nidus, Rei-
publicæ huic, in præsentem usq;
diē, sua reliquit insignia: S. P. Q.
WRATISLAVIENSIS
literā W. eiusdem Fundatoris,
& laudatæ Urbis illustris Familia
GÖTZIANA, CYGNUM,
non sine singulari omine, in-
signium adsumere loco.

XVIII. Turcæ, alique orientales
populi, quod sub dio fere dege-
rent, Solem, Lunam, & cetera
sidera, ad insignia rapuere.

XIX. Turcarum etymon, a variis
varie deducitur: circumcisionis
ritus, non probat ex Asyria in-
Scythiam eos commigrasse: Sa-
raceni unde dicantur, & cur
Ottomannicis Turcarum no-
men tam exosum: a Iapheto,
Noæ filio, cui Scythia in di-

uisione terrarum obtigit, pro-
gnatos se esse, non ita absurde
gloriantur: ex lugria in pingui-
ores migrasse prouincias, GE-
ORGIVS SCHVBAR-
TVS, VIR CLARIS.
more suo, eruditè docet.

XX. Homonymia, varia Turca-
rum insignia offert, puta: co-
ronam quintuplicem, Tulipan-
tum, folium.

XXI. Nec non scutum aureum,
quattuor B. B. B. B. insignitum.

XXII. Itemque insignia Imperato-
ris Turcici, quibus induciarum
pacta roborat.

XXIII. Illustratur hoc gemino ex-
emplo, Regis Iohannis Sce-
pusiaci, & Comitis Emerici
Töckelii: An Turcæ, pere-
grino sibi idiomate, sancita
pacta servare teneantur?

XXIV. Turcarum insignia in cu-
stodiendis & obsignandis the-
sauris suis, qualia?

XXV. Quæ in supremo tribunali,
quo publica ab ipso Præside
confirmantur decreta? & qua-
lis in hoc iudicio processus?

XXVI. Quæ indubitata futuræ
expeditionis apud Turcas insi-
gnia? qui Veziriorum in ve-
xillis genuinis character & in-
dex? qui Sultani ipsius, aliorūq;?

XXVII. Remouentur hæc insi-
gnia, & quæ præsentis sint in-
stituti, indicantur.

¶ d'nc

E
tur
tum
luto
ded
gna
mi
pos
xui
gnio
plar
cun
pur

Φάσις I.

ET si animus non sit, dies rerum verbis terere; quandoquidem constat, Rhetores & Philosophos, a Catone seueriori, Italia ob id pulsos fuisse; 1) frustra tamen ea contemnuntur, sine quibus ad maiora progredi haut licet, vt recte Gallorum eloquentissimus Marcus Antonius Muretus existimat. 2)

1) *Agellius* noct. Attic.

lib. XV. c. II.

2) *M. A. Muret.* orat. XVI.

Romæ habita.

Φάσις II.

Quod itaque *insignium* verbum attinet, hoc a neutro absoluto *insigne* quod ab adiectiuo *insignis* ex *signando*, probatiores deducunt scriptores: 1) vt adeo vi radicis suæ, *insignia* quasi *signa* forent, indicia & monumenta, siue splendida alicuius familiaris, siue rerum præclarissime gestarum, quibus virtutes feræ posteritatis memoriæ commendantur. Recentioris quidem æui auctores, 2) pro *insignibus*, non infrequenter *insignis* & *insigniorum* voces, eadem fere ratione, qua alias *exemplaris* pro *exemplaribus*, vfos legimus: quam autem loquendi consuetudinem, cum a classica multum recedat, 3) non temere imitandam esse, purioris Latini sermonis viri, 4) dudum est, quod monuerint.

1) *Ger. Job. Vossius* in origin.

Latin. Ling. h. v.

Philip. Camerar. horar. sub-

cif. cent. II. c. 9.

And. Tiraquellus, tractat. de nob. cap. II. n. 25.

3) *T. Liuii* hist. Roman. lib. I.

cap. VIII.

Job. Christ. Becman. notit.

dignit. illustr. dissert. VI.

cap. I. §. I. seqq.

Val. Maximi dictor. factor.

memorab. lib. I. cap. VII.

§. 5.

2) *Alex. ab Alexand.* lib. I. ge-

nia. dier. cap. XXVII.

Q. Curtii de gestis A. M. lib.

III. c. 3, §. 19.

Marc. Velferus lib. IV. reip.

August. Vindelico. p. m.

356. edit. Norib. anno

1682. fol.

4) *Henricus Bebel.* de abusibus

Lat. Ling. p. 62.

Rudolph. Goclen. lib. II. pro-

blem. grammat. quæst. LX.

Φάσις III.

Est vero *insignium* vox ex ἰῶν πολλαχῶς λεγομένων numero.

IIIa.

Illa namque substantiuo combinata, nunc clarum, euidens, excelsum, aptum, magnum, nobile, & quæ alia denotat: dicitur namque *insigne nomen* & *Consul insignis*, 1) itemque *insignia Senatibus*, 2) pro membris nobilioribus, Senatibus decorantibus; Nunc mediæ vocis significationem induit, & æque in bonam ac malam partem trahitur. Sic nobile Gallix suæ fidus Andreas Tiraquellus, singuli quem anni noua prole nouoque scripto beatum viderant, *latronem insignem, nobileque scortum* vocat illud, quod omnium est impudentissimum, ac qui latro est omnium maximus: 3) Quod si vero vt neutrum absolutum spectetur, varia *μὲν ἁπορρηκῶς* itidem denotat, quæ singula vel indicare paginæ angustia vix sufficeret. Hæc enim, non modo pro *nota* & *symbolo* quouis accipitur, sed omnia in genere *ornamenta*, quibus res & personæ honoratiores mutuo discernuntur, aliasque *dignitatum imagines* simul inuoluit. 4) Hoc sensu in sacris *Urim & Tummim*, *λόγιον* Græce, principi Pontificum vestitui, tanquam *insignia* inserta conspiciebantur. 5) Eadem ratione, vestitus Romanorum, quo tempora distinguebant, toga sagumque dictus, *ad belli pacisque insignia* non incongrue retuleris. 6) Huc purpuram & sceptrum, *magnifica illa insignia*, quibus Academicarum Rectores, ob musarum commercium, ornantur, reuocet licet. Huc Peripateticorum *industriæ insignia*, quando senex quidam myops, agresti facie, stupido barbaroque aspectu, simus atque gibbosus, talis enim Aristoteles inepte vulgo depingitur, 7) manu assidua librum voluens atque reuoluens, verisimiliter pertinent. Huc solem, cœli quasi monarcham, qui *radiatum insigne diei*, Lucretio 8) dicitur: & stellas, quæ *mundi insignia*, a Cicerone 9) laudantur, merito traxeris. Ita, preciosa illa monilia, margaritis, auro argentoque affabre artificum manu distincta, quibus virgines & femine, non secus ac Turcæ sua lunula, ornatus forte gratia, in publicum se committere solent, *feminei sexus insignia*, Lilius 10) indigitat. Restant infinita huius generis insignia, coronæ puta, annuli, ornamenta regia, varia naturæ artisque opera, quæ egregie explicata videsis apud Carolum Paschalem, 11) Iohannem Kirchmannum, 12) Theodorum Hœping, 13) Fridericum Rappolt,

polt, 14) Iacobum Vogelium, 15) aīosque. Nos in praesenti misas facimus has significationes, & pro instituti ratione, sensu magis proprio, quatenus scilicet summi alicuius Imperii, propriae auitaeque fortunae symbolum atque omen existit, accipienda esse, monemus.

1) Tit. Liv. hist. Roman. lib. IX. cap. 12.

2) Æ. Floro rerum Roman. lib. IV. cap. I.

3) Tiraquell. tract. de nobilit. cap. II. n. 29. seqq.

4) Nizolius thesauro Cicer. ad ad hanc vocem.

5) Exod. XXIIIX, v. 4. & in hunc Job. Mich. Dilherr. lib. I. elector. cap. 5.

6) Iob. Rosin. antiquit. Roman. lib. V. cap. 35.

7) Sandrats Deutsche Academie der Mahlerey-Kunst. Nürnberg/fol. 1678. p. 315.

8) Lucret. de rerum natura lib. IV.

9) Cicer. lib. I. de natura deorum.

10) Livius H. R. lib. X. cap. 6.

11) C. Paschalius de coronis, passim.



12) Kirchmann. de annulis Roman. lib. I.

13) Hæping. tractat. de iure armor. cap. I. n. 6.

14) F. Rappolt in schediasm. Lipsiæ 1660. edito.

15) I. Vogel. diss. de insign. Lips. ibidem superiori anno habita.

Φάσις IV.

Sicigitur ab *homonymia* liberata *insignium* vox, varia habebit *synonyma*. Dicitur namque in sacris communiter , *signum prodigiosum*, 1) cuius eruditam explicationem suppeditat Daniel Fesselius. 2) Rabbinis audit  *signum*, 3) unde forte Græcum illud *σημα*, *signum*, *insigne*, quod denotat, originem suam traxit. Alias *εισημα*, *ωδρασημα*, *το δειγμα*, *σημα*, & cum addito *ηγεμονίας* *ωδρασημα*, imperii insigne, nec non *βασιλικὰ τὰ ωδρασηματα*, regia insignia. 4) Latinis *arma*, & *armorum insignia*, *stemmata*, *symbola*, *schemata*, *imagines*, at peculiari in sensu, audiunt. Veteres Germanorum, antiqua scribendi & loquendi consuetudine, *Schild* / *Waffen* dixere. Vnde iam de *insignium* origine, de qua mox dicturi sumus, non obscure liquet. Sed hæc adpellandi ratio, nostris moribus, metathesi quadam literarum, in *Wappen* non

B

nihil

nihil immutata est; ita, vt priori illa voce *arma* proprie, posteriori vero *insignia* notare confueuerimus. Plura ea de re videsis apud laudatum Theodorum Hœpingium, in diffuso illo non iuris modo, sed omnis etiam antiquitatis thesauro *de Iure Armarum*: Philippum itidem Iacobum Spenerum, prolapsæ pietatis Christianæ vindicem & restauratorem maxime sedulum, in egregio plane *artis Heraldicæ opere*, Francofurti ad Menum, sumptuose nuper excuso.

1) *Iob. Buxtorf.* in Lex. Hebr. ad h. v. Script. loca refert.

2) *D. Fesselius* aduers. sacra sect. XXIV. p. m. 447. seqq.

3) *Christ. Becman.* orig. Lat. Ling. in voce *instigo*.

4) *M. Ruland.* Synon. Græc. adh. l.

Φάσις V.

Nunc, explorata nominis cognitione, in origines, seu causas efficientes *insignium*, quas pauci hæctenus, quod equidem sciam, rimati sunt, breuibus inquirendum venit. Quo vero altius rem repetere meditor, eo maiores obscuritates submouendas esse, video. Nam, sicut amplissimæ superficies oculis quidem omnium incurrunt, linearum contra & punctorum elementa, ex quibus illæ conflantur, latitudo nulla, imo nulla quidem pars reperiatur: 1) vel, vt communi vtar similitudine, cursus magnorum fluminum noti sunt; fontes vero & scaturigines, vnde illa excurrunt, obscuræ: ita *insignium* vsum, in omnes quidem terrarum plagas, ad vsque Americanos se diffudisse, nemini non constat; primordia tamen, si res ab o-uo repetenda, non æque, *δεδομένοις* cum destituamur, patent.

1) vide *Euclidem*, & in hunc *Christoph. Clavius* lib. I. def. 2. & 3.

Φάσις VI.

Antiquissimum quidem *insignium* esse vsum, extra controuersiam aleam est. An vero tam antiquum, vt Israelitæ eundem suis stabilire possint vexillis, o) quibus Iacobum Patriarcham, non religionis quidem, sed ornatus ordinisque gratia, familias liberorum suorum distinxisse, ferunt, nihil certi adfirmare habeo. Speciosa profecto sunt, quæ superstitiosus ille

Atha-

Athanasius Kircherus hac de re commemorat; quæ, cum non sit cuiusvis marfupii, spissa illa *Oediporum Ægyptiorum* redimere volumina, pluscula licet sint verba, tamen adducam. Ita vero ille: 1) *Ad orientem*, inquit, *super Tabernaculum Naasson*, primogeniti *Iudæ*, vexillum fulgebat *viridis coloris*. In *viridi* namque lapillo, qui *Smaragdus* adpellatur, parentis sui nomen descriptum erat, in *Rationali Iudicii*, quod summus Sacerdos gestabat in pectore, in quo quasi in Pontificia bulla *Israelitis nobilitatis antiqua lura* continebantur. In vexillo autem *Iudæ*, in *signe nobilitatis* erat *leo*. Leoni enim comparauerat eum *Israel*, sive *Iacob*, pater eius, quando nimirum, tanquam omnium parens & princeps, singulis propria stemmata distribuit. *Ad meridiem* deinde eminebat supra tentorium *Elizur*, filii *Ruben*, rubrum colore vexillum, quod referebat *Sardium*, *Rationalis lapillum*, quod illi obtigerat; eius autem in *signe* fuit *humana figura*, utpote qui primogenitus esset, & quasi caput totius domus *Israel*. 2) *Ad occidentem*, supra tentorium *Elisama*, filii *Ephraim*, vexillum radiabat aureum, *Chrysolitum*, referens *Rationalis*, in quo descriptus erat. Habebat autem pro in *signe nobilitatis vitulum*, cui comparat eum *Iacob*, dixisset rectius *Moses*. 3) Denique ad aquilonem super tentorium *Eliezur*, filii *Dan*, diuersi coloris vexillum erat, ex albo nimirum & rubro colore permixtum, aspidem in *Iaspide* referebat eiusdem *Rationalis*, iuxta illud: 4) fiat *Dan coluber in via; cerastes in semita; quæ ad ingenii acumen & bellicam fortitudinem atq; industriam singularem referenda esse, merito putant Doctores*. Hæc enim duo cum maxime in aquila sint conspicua, ideo creditum est, *Dan*, quod *cerasten* in vexillo pingere recusaret, aquilam pro serpente pinxisse. Huc digitum intendisse *Sanctum Spiritum*, pergit ille, quando *Ezechieli Prophetæ*, 5) & *Iohanni Evangelistæ*, 6) eadem fere animalium forma, adparuerit. Imo consuetudinem illam, unicuique *Euangelistarum* in frontispicio, vnum aliquod ex his animalibus adpingendi, ex his vexillis forte profluxisse, auguratur. Miror Kircherum, cur traditionem illam, de quattuor, quas vulgo dicunt, mundi monarchiis, *Danieli* indicatis, 7) ex eodem fonte non deduxerit: Nam equidem reor, ex his talibus, eadem cum facilitate & probabilitate, licere plura eiusmodi confingere.

o) Numer. cap. II. v. 2. 1) Ath. Kircher. Tom. II. hiero-

B 2

glyph

- glyph. vel Oedip. Ægypt. classe I. cap. 3. p. 19. seqq. 3) *Deut.* cap. XXXIII. v. 17.
 item 4) *Gen.* cap. XLIX. v. 17.
P. Masen. specul. imagin. lib. III. cap. 27. 5) *Ezech.* cap. I. v. 10.
 6) *Apocal.* cap. IV. v. 7.
 7) *Daniel.* cap. II. v. 39. seqq.
 2) *Gen.* cap. XLIX. v. 34.

Φάσις VII.

Sunt, qui Dauidem, eiusque successores, Reges Iudæ, primos in vexillis & annulis signatoriis, Leonis imaginem, insignium loco, usurpasse adferunt. 0) Nec ratio huic adferro deesse videtur, quando sacrae literæ testantur, leonem & vrfum, magno impetu in se irruentes, cecidisse eundem. 1) vt adeo intrepidi animi argumentum, & rei præclare gestæ indicium foret omnibus. De alio præterea *Dauidico insigni* מַגֵּן דָּוִד *Maggen*, f. scutum *Dauid* dictum, multa Iudæicum Turcis splendide nugantur. Tradunt enim illi, Dauidem geminum triangulum, opposita ratione sibi mutuo in-nexum, quale in adiecto schemate, comparet, insignium habuisse loco; in cuius quattuor apicibus ad latera, nomen Dei tetragrammaton יהוה incisum fuerat, reliquis duobus, sup-ero scilicet & infero, eiusdem abbreviatio יה: medium autem spacium hieroglyphicum nomen אגלא *Agla*, hoc in recessu habens: אתה גבור *Tu fortis es in aeternum, O DOMINE!* Indeque esse, quod DEVM toties in Psalterio SCVTVM SVVM adpellet. 2) Eodem insigni in vexillis, & pro tessera militari feliciter vsum fuisse, e Rabbiorum scriptis, Wilhelmus Schikardus 3) prodidit. Non possum, quin hic, velut in transcurso, Christianum lectorem moneam, hoc illud famosum *Dauidis esse scu-tum*, quo superstitiosa Iudæorum gens, ignium se vim cohibere posse credit; atque vt incendia restinguat, siue massæ panis in-cludit, siue eius crustæ extrinsecus modo creta inscribit; addito sacro illo versu, 4) qui in adpositæ figuræ peripheria legitur, & resolutus



resolutus sic sonat : *Clamavit populus ad Moſen, & orauit Moſes ad DOMINUM, atque reſreſſus eſt ignis.* quod, poſtquam ternis ignem circumiuit vicibus, in flammam illico coniecit. Quæ horrenda nominis diuini prophanatio, cum in plerisque rebus publicis Chriſtianiſ, exorto incendio, magnis præmiis a Iudæis emendicari conſueuerit, ſeuere omnino notari merebatur. Sed & laudandus hic venit, conſummati Theologi, PHILIPPI IACOBI SPENERI zelus & incredibilis pietatis ardor, qui, pathetica plane pro roſtris eoncione, eo tandem Proceres reipublicæ Francofurtanæ adduxerit, vt exſecrandum hunc ritum, quo bene diu contaminati vixerant, publico nuper edicto abrogarent. Iſtis vero Iudæis, vt valide redarguantur, experientiam opponimus, quæ illos non raro fruſtrauit, vt cum anno M DC XVII. Lublini plus mille: & Theſſalonice ſupra MMM. habitaciones eorum in cineres redactæ fuerint. imo, ipſe Talmud, liber gentis opinione ſanctiſſimus, maximo numero, per Italiam vniuerſam, paſſim crematus fuerit, ceu ex R. Dauide laudatus memorat Schikardus, ſubiungens: *an igitur e tot Rabbiniſ nemo fuit, qui tam triſte fatum libri miſeratus* *שְׁמוֹת* ſchmos, i. e. *ſacra nomina pro remedio admurmuraret? ecce vanitatem veſtri Magen David! quo nec ipſum corpus a flammis tutari poteſtis! nam, ſi quæ verba eam vim haberent, utique codex Moſaicus, quo ad hoc artificium abutimini, præſtaret id vel maxime.* Sed redeundum in ordinem, & Turcis æque ac Iudæis ſcutum hoc ſuum relinquendum eſt. Non longe diſſimile, vt hoc ſolum addam, Antiochus Soter, contra Galatas expeditionem ſuſcipiens, militare inſigne duxiſſe fertur, *ς) videlicet* *τριπλῆν* *τριγώνον δι ἀλλήλων καὶ πεντάγραμμον,* quinque duntaxat lineis conſtans, atque in totidem literas græcas *υ γ ι ε α*, vt in adiecto cernere eſt icone, quæ **BONAM VALETVDINEM** denotant, reſolubile. Nominatur id vulgo *Der Trottenuß* ſeu *Drudenuß* non quod Druidæ, homines ſapientiſſimi, quo a plebe diſcernerentur, ex ligno, ſingularis formæ calceis, pentagonum,



tagonum, Mathematicorum figuram, representantibus, vfi fuerint, quæ CL. Schedii sunt coniecturæ, 6) sed quod pentalpha, aut aliud quodpiam salutis symbolum, ceu contra hunc nobilissimus Vir Esaias a Puffendorf euicit, 7) incisum fuerit.

o) Petr. Gregor. de republ. cap. script. proem. p. 54.

XVI. item

4) Num. XI, v. 2.

Laur. Beyerling. tom. IV. the-

5) Alex. dier. Genial. lib. IV. c. 2.

at. vit. hum. ad tit.

6) E. Sched. de Diis Germ. Syngr.

insignia.

II. cap. 9.

1) I. Sam. vel I. Reg. cap. XVII, v.

7) Puffend. in dissert. de Druidib.

34. seqq.

Lipsiæ habit. cap. III. conf.

2) Psal. III, v. 4.

Iob. Saubert. de sacrificiis

3) W. Schik. in serie Regum Per-

cap. IX. p. 209.

sar. Tarich. vulgo in-

Φάσις VIII.

Nec defunt, qui horum originem Ægyptiis, Iudæorum co- xuis, vindicare satagunt. Quoniam Reges eorum Apim, tau- rum, aliaque animalium genera, vt regis potestatis insignia, primum gestauerint; o) & Duces eorum, vt vicinos suos, artis Tacticæ ignaros, prælio facilius superare possent, signa excogi- tasse certa, quæ, cum Ductores, in vexillis depicta circumtu- lissent, quo ordine quisque militare necessum haberet, cogni- tum illico obseruatumque, ceu Poëtæ & Historici perhibent. 1) Vnde accidit, vt illud sidus, animal, siue quodcunque aliud symbolum, sub quo res prospere cesserat, omnibus modis, & red- dere sibi & seruare propitium curauerint. certo persuasi, esse, quandam rebus inferioribus cum superis conuenientiam, miræ rebus in agendis efficaciam. 2) Neque singulis animantibus mo- do, eorumque membris, peculiare inesse virtutes, cælique ge- nios, veteres iudicarunt; sed quas tandem cunque res, colores scilicet, figuras, numeros arithmeticos, tanquam diuina ora- cula, superstitiose contemplantur. 3) Non hic quidem ex- plodendum esse, censuerim, moralem & symbolicum de re- bus naturalibus sensum, utpote, quod a fabis abstinendum; cu- ius

ius
reb
gra
ha
adu
& c
tica
om
om
BE
uol
o
i
bus,
dim
belli
chill
que
mor
præ
hac
in U
tos e
ynd
nis e
men
pres
pro



ius mysteria ne reuelaret, linguam sibi præcidit Timacha: cerebrum, cor, erythinum non comedenda: a gallo candido, nigram habentibus caudam, serio cauendum: vncos & vngues habentes ne alendos: hirundines in domum ne accipiendas: aduersus solem ne mingendum: ignem gladio ne fodiendum, & quæ alia: nam vix commodius docendi genus vllum despotica illa tempora, vbi Reges Deorum colebantur loco, apud quos omnis credebatur esse veritas, tuto permisere. Qua de re vide omnino illustrissimum Hectoris Comitum, FRANCISCVM BERNIVM, 4) qui rara felicitate ingenii, pluribus hæc e-

o) *Diodor. Sicul. Biblioth. hist.*
lib. I. c. 26.

i) *Steuich. comment. ad Veget.*
lib. II. cap. 6. conf.

P. Masenius speculo imagin.
verit. occultæ lib. III. cap.
XXVII. seqq. p. m. 377.

2) *Pierius in hieroglyph. lib.*
XLI. tit. de causis insign.

3) *Mart. Delrii disquisit. magic.*
lib. I. cap. IV. quæst. 2.

4) *Franc. Bernium ad arcana*
moralitatis, ex Pythagoræ
symbolis, passim.

Φάσις IX.

Ab his, Ægyptiis nimirum, mutuatos id Græcos, a quibus, vt multa alia, Romanos, & sic ad alias quoque gentes dimanasse, sunt, qui perhibent. o) Alii cum Plinio 1) ad belli Troiani tempora, insignium origines reuocant, idque ex Achillis, Pelei filii, Iosux & Gideoni συγχέουσ, 2) clypeo eiusque hieroglyphicis imaginibus, Homeri & Virgilii, grauisi-morum auctorum, testimoniis probare nituntur. 3) Lubens prætereo, quæ de Agamemnonis insignibus, in quibus leonem hac epigraphe: ΟΥΤΟΣ ΜΕΝ ΦΟΒΟΣ ΕΣΤΙ ΒΡΟΤΩΝ: in Ulyssis delphinum: in Hippomedontis typhonem, ore ventos efflantem: in Persei Medusæ caput, serpentibus crinitum, vnde nata suffixi capitis Gorgonici fabula: Alcibiadis cupidinis effigiem: Cadmi draconis, & id genus alia, æri incisa, commemorant. 4) Fusius hæc And. Alciatus, 5) & ex eo, suppresso tamen, more suo, nomine, Laurentius Beyerling, 6) profecuti sunt. Succurrit nunc, pro eadem sententia firman-

da

da, de Ægeō, Athenienſium Rege, qui filium Theſea ex ſignis ſuæ familiæ cognoverat, Ouidii locus, 7) non incongrue hic citandus:

*Tum pater in capulo gladii cognouit. eburno
Signa ſui generis; facinusq; excuſſit ab ore.*

- | | |
|--|---|
| 0) Diod. Sicul. Biblioth. hiſt. l. c. | man. dialog. 5. |
| 1) Plin. hiſt. lib. XXXV. cap. 3. | 4) S. Maiol. diſc. canicul. tom. V. dial. 5. |
| 2) Fide chronologicar. tabular. ſtudio ſummi viri, à
Anguſtæ Vindellic. nupere Gallicano idiomate, latine editar. tab. I. | 5) And. Alciat. lib. II. embl. XXI. |
| 3) I. Lipſius lib. IV. de milit. Roman. | 6) Beyerling theat. magn. in voce <i>Stemma</i> . |
| | 7) Ovid. lib. VII. metamorph. fab. 12. |

Φάσις X.

Præterea, illorum quoque coniecturæ in medium proferendæ ſunt, qui ab Aſſyriorum & Babyloniorum nobilioribus, quibus nefas videbatur, ſine ſceptro aut vexillo, cui floſculi, vel alterius animalis effigies impreſſa fuit, in publicam prodire lucem, 0) huius inſtituti natales accerſendos, pro certo tenent. imo, qui Xenophontis teſtimonio 1) moti, ad Cyrum, monarchiæ II. vulgo ſic dictæ, fundatorem, & primum rei equeſtris, exercitiorumque inter Perſas auctorem, moris huius veſtigia referunt. 2) quorum tamen ſententiam euertere videtur antiquiſſimus ſcriptor Herodotus, 3) qui Cares, minoris Aſiæ populos, omnium, qui illis temporibus claruerunt, ingenioliſſimos, primum inſignia finxiſſe; clypeis ſigna adiunxiſſe; loca quoque ſcutorum excogitaſſe, memorat. Sileo nunc Pictos, a variegato armorum colore, quo in conflictu & pugna uti conſuevere, ſic dictos; 4) quod perquam lubrico hæc opinio innitatur fundamento. Miſſam quoque facio eorum ſententiam, quæ a Romanis, Appio nempe Claudio Conſule, qui primus ea Romæ intuliſſe perhibetur, 5) inſtituti huius rationem depromit. Nec eorum facile tuebor partes, qui Iulium Cæſarem, ad indicandam rei geſtæ magnitudinem, primum

mum hieroglyphicis insignibus, aquila scilicet, clypeo inscripta, cum ante eum non nisi statuae triumphantibus erigerentur, Urbem ingressum fuisse, tradunt. 6)

o) *Alex. ab Alexand.* dier. genial. lib. I. cap. 28. item

Aldrouand. lib. I. ornitholog. ad titulum: *usus insignium.* p. 256.

1) *Xenophon* lib. VII. de *Cyro.* item

Suidas in voce *ξυσόν.*

2) *B. Briffon.* lib. III. de rep. *Perfar.* p. 343. seq. it.

Vlric Huberus in dissert. de gemina aetat. *Assyriorum.* V.

3) *Herodotus* hist. lib. I. cap. 36.

4) *I. Limnaeus* lib. V. *Iuris publ.* cap. VI.

5) *Valer. Maxim.* testim. confer. plurib. *M. Zeiler.* epist. 36. cent. I.

6) *Cassan.* in catalogo gloriae mundi, part. I. confid. 38. concl. 17. confer. &

Guido Pancirol. thesaur. variarum lectionum *Iuris,* lib. I. cap. 24. seqq.

Φάσις XI.

Exquisitiores qui esse volunt, e bellica virtute, quicquid huius rei est, originem traxisse, contendunt, dum Principes & belli Duces, praemiis & hostium spoliis, ob nauatam strenue operam, militum animos, ad rem porro praclare gerendam, excitulauerint: quibus postea spoliis domorum ostia milites condecorarunt, & affixa longa successione ad posteritatem, transmisere, quemadmodum de Romano milite Patauina illa Siren o) annotat. Euidens huius rei exemplum in ipsa Germania, in Henrico Aucupe, deprehendimus. hic, postea, quam ab Hungaris ad interneccionem fere, multis cladibus, caesus esset, equestris ordinis insignia, a Carolo quippe Magno iam adumbrata, egregie perpoliuit, variisque adauxit priuilegiis & honoribus: quo solum pristinum Germanorum robur, aduersus hostes, validius experiretur. 1) Sed forte hanc dignitatis rectius, quam maiestatis & integrarum gentium insignibus conuenire sententiam, quispiam excipiat; cui reponimus, admodum verisimile eruditus videri, communem eorundem agnoscere originem.

o) *Liuius* lib. VII. cap. 37. 1) *V. Lazius* de migrat. gent. lib. IX. cap. 1.

Φάσις XII.

Proxime accedunt illi, qui insignium natales ex auita gentium consuetudine repetunt. ita tamen, ut vicinorum foederibus, praeliis, victoriis, consuetudine, & quam deinceps exceperet leges, mire inter se commutata fuerint; quæ quo magis speciose in literas redacta, eo maiori admirationi posteris fuerent. Nam, quæ ipsis etiam Americanis, longe ante Europæorum aduentum, cognita perspectaque fuisse, deprehenduntur, frustra primum eorum auctorem curiose indagamus. 0) Vidimus enim ex Sinis, Marci Velseri sunt verba, 1) parmulam aduectam, in qua, tum alia, tum auro pictum scutum erat, panthera conspicuum, scuto incumbebat galea, aperto hiatus, cancellis fenestratis, laciniis siue vittis vtrinque dependentibus tecta, supra galeam plumea crista surgebat, prorsus ad Europæum morem. Sane, credibilius est, Sinas hæc ab Europæis nequaquam accepisse, sed eadem iis, quæ nobis sua sponte in mentem venisse: alias profecto de bellicis tormentis, & chalcographiæ arte, quorum usum per mille annorum spatium apud se extendunt, verisimili propemodum ratione, id negari potest. Sic in tanta sententiarum discrepantia, remoto erroris repagulo, portam veritatis huius referavit incomparabilis Velserus.

0) Dapper / Americanische
Reisebeschreibung / Amsterdam / anno 1683.
p. 215.

1) M. Vels. lib. IV. rerum August. Vindel.

Φάσις XIII.

Diutius fere, quam par est, primi insignium inuentores nos remorati sunt. Nunc, ex quibus potissimum singula profluxerint fontibus, concisiori dispiciendum stilo. Mira autem hic quoque occurrit varietas, quam calamo exprimere, plane impossibile. cum nullum fere reperiatur animal, brutum nullum, nulla denique in natura res occurrat, unde insignium materia peti non possit. Quali autem indole, natura, forteue prædita fuerat gens unaquæque; talia etiam arma, seu insignia

gnia, quæ perpetuo secretis animi moribus imitaretur, effingi sibi adfectabat. Sic Turcicæ barbariei, tigridis imaginem, insignium loco, apprime conuenire, Wolfgangus Frantzius ^{o)} adserit: ita Afrorum versutum in fraudes acumen, vulpis adumbrari imagine, dixeris: 1) Romanorum aut Medorum luxuriam, sturni aut merulæ; 2) sic execrabilem Italorum vindictæ priuatæ zelum, chamæleontis: 3) Gallorum in rebus quidem adgrediendis audaciam aut alacritatem, gaviæ; 4) sed si mora interiecta fuerit, hirundini: 5) Narbonensium ibidem loquacitatem, picæ: Hispanorum grauem elationem, pici martii, ⁶⁾ aut generosi equi: 7) Britannorum hospitalitatis gloriam, vocemque, ad quoduis enunciandum suauem, luscinia: 8) Germanorum veterum ignaram fraudis simplicitatem, columbæ exhibebit effigies. 9) Hungarorum pro prisca libertate, patriisque ritibus obstinationem, erinacei; 10) & in gerendis bellis strenuitatem elephantis: 11) Scepusiensium ibidem meorum frugalitatem, ac in laboribus campestribus & hortensibus tolerandis, inuictam industriam, formicæ aut araneæ: 12) Silesiorum admirandam humanitatem, cum qua certat Pietas & insigne mutuo bene merendi studium, cerui aut ciconiæ: 13) Et quæ alia huic genti in laudem, illi in crimen venire possunt. Sic igitur princeps adsumendorum insignium, spiritus ille in animali, causa fuit. qui, ubi a corde, sanguinis officina, per arteriarum decursum, circulari motu, 14) pro varia organorum structura, proportione, motuque, quæ, utinam ad exemplum oculatissimi Anatomicorum, Nicolai Stenonis, ad geometricas tandem reuocarentur rationes! per totam diffunditur compagem, varias quoque adfectiones & effectiones producit: quamquam, aeris terræque conditionem, & naturam loci, non postremum hic habere momentum, censuerim; diuino tamen Numine cuncta hæc valide gubernante.

o) *W. Franz. hist. animal. part. I. cap. 9.*

1) *Idem, part. I. cap. 7.*

2) *Meurs. de luxu Roman. syn. tag. singul.*

3) *Sam. Bochart. hierozoico part. I. lib. IV. cap. 6.*

4) *Frantz. hist. animal. sacra. part. II. cap. 24.*

5) *Idem d. cap. 21. p. m. 555.*

- 6) *Idem* d. part. II. cap. 18. 12) *Erantz*. d. part. V. cap. 7.
 7) *Idem* d. part. I. cap. 12. 13) *Bochart*. part. II. lib. II. cap.
 8) *Idem* d. part. II. cap. 26. 29.
 9) *Bochart*. d. part. II. lib. I. cap. 4. *Idem* hieroz. part. II. lib. 2.
 10) *Erantz*. d. part. I. cap. 25. cap. 24. item 29. p. m.
 11) *Bochart*. d. part. I. lib. 2. cap. 23. 292. seq.
 14) *G. Harvæus* tract. de circu-
 lat. sanguinis.

Διχότου.

Videmus id in Græciæ populis, Spartanorum quadam familia, & Thebanorum cum primis conditoribus. hi, cum pugnandi arte, virtuteque militari, natura ceteris præstarent, natalem non modo in corpore lanceæ effigiem tulere; 1) sed eius etiam ideam, insignium loco excogitandam, maxime sibi conuenire existimabant, quæ depicta aut forma sua, aut ingenio, aut alio peculiari aliquo adiuncto, illam ipsam virtutem, animis eorum, perpetuo repræsentaret. Sic Leone suo Agamemnon, quem cum epigraphe supra citauimus, haut dubie heros ille, animalis huius dotes, se maxime sequi velle, indicauit. Sic Julius Cæsar 1) militibus suis Elephantem insignium loco concessit; quod illi contra Iubam Regem, elephantis instructum bellatoribus, insigni virtute triumphassent. Idem, inter alias militum legiones, Sphæra terrestris insigne, constituisse dicitur: qua terrarum orbem, Romanis militibus, pruriū subiectumque testaretur. Sic Dacos, Hungariæ populos, Draconem, notam originis, ab ipso partu, vt in brachio, ita & in armis tulisse, Historici commemorant: 2) vt hoc indicio, se minime molles, sed terribiles, sed asperos, sed impavidos hostibus suis ostenderent; quibus tamen a Traiano post deuictis, Romanorum factum esse insigne, Vegetius testatur. 3) Nec dispar est ratio, cur Fridericus I. Imperator, Vladislaum Bohemiæ Regem eius nominis II. ob navatam contra Mediolanenses strenue operam, pro nigra, quam in vexillis deferebant, Aquila, fuluum Leonem, ceu perpetuum fortitudinis

dinis bellicæ argumentum vsurpare iusserit. 3) vbi vero, pietoris ingenio, Leo in vexillis exhiberetur contracta inter femora cauda, quod timoris est signum, Bohemi de causa sciscitantur, atque Aquilam reponunt. Tum Cæsar in risum solutus; vt magis emineret Leonis species, album illum, binisque in altum porrectis caudis conspicuum, in vexillo rubro adumbrari iussit, qua Bohemi delectati, quod præcipuum in cauda rubor leo circumferat, tanquam pristinae virtutis testimonio, etiamnum vtuntur.

o) *Alex. ab Alexand. dier. genial. d. l.*

Alexand. d. lib. II. cap. 19.

1) *Idem d. l. lib. IV. cap. 2.*

3) *Lipſio citante de milit. Rom. dial. 5.*

2) *Plin. hist. nat. lib. VII. cap. II. prope finem.*

4) *Io. Dubravius hist. Bohem. lib. XII. prope finem.*

Φάσις XV.

Pluribus regnis & nationibus Pietas & Religio sua indidit insignia. Patet hoc Constantini Imperatoris exemplo; o) hic, cum aduersus Maxentium tyrannum, ad pontem Miluium, pugnaturus esset, non sine formidine amittendæ victoriæ, ad cælum conuersus; Numinis, etiam gentilis, opem imploraturus, Crucem inter nubes auream obseruauit, iuxta quam hæc epigraphe, stellis exarata, legebatur; ΤΟΤΩΙ ΝΙΚΑ ΙΝ ΗΟC VΙΝCΕ. Hoc animatus spectaculo, loco Aquilarum, sacrum in bello Crucis insigne erigi iussit, Maxentiumque aggressus, proprio inconsideratum dolo oppressit; cum is, ponte Miluio dolose succiso, vt hostem falleret, immemor postea huius facti, per eundem se recepturus, interiit. Hinc Constantinus, Cruci ob id, inter militaria insignia, principem dedit locum, felicibus auspiciis, non ad victoriam modo, sed & fidem orthodoxam, mox secuturus. Qua de re magnum Italiae suæ lumen, Octavius Ferrarius, ingenti reipubl. literariæ damno, Patauii nuper extinctum, erudite, in *Electis suis* disseruit. Eius quoque Pietatis intuitu Stephanus, Hungariæ Rex, Sanctus itemque Apostolicus cognomine dictus, quod primus

Cimmerias gentilium tenebras, veritatis luce, in hoc Regno commutauerat, Duplicem Crucem, insignium accepisse loco, fertur. 1) Postquam enim, seditiosum Cupam Caluum, Zirindi filium, qui ipsum, vt supersticiosum & imbellem criminando, antiquos Scytharum mores ac leges laudaret; populumque ad defectionem sollicitando, sibi adiungeret, Duce Vencellino (Vicellino) Alemanno, equo deturbatum, vna cum ceteris coniurationis hostibus, merito adfecisset supplicio, & populum ad pacis studia iterum conuertisset, totum se religioni dedit, monasteria noua excitauit, Episcopos instituit, & prouentibus annuis ditauit, virosque sacrarum & humanarum literarum peritissimos, magnis propositis præmiis, ad se allexit, summaque liberalitate profecutus est. Hac ergo pietate, Pontifex Romanus, Syluester II. anno Christi M. motus, insignia eius gentilitia, quæ ab Attilæ inde temporibus, more maiorum vsurpauerant, Duplici Cruce, Dignitatis & Religionis indice, commutauerat. 2) Idem Pontifex, eam, quam Polonorum Duci, egregio opere factam, coronam destinauerat, Legatis Hungaris, qui pro more illius seculi, eandem a Pontificibus impetrare consueuerant, quam primum Romam adpulerant, tradidit, insuperque concessit, vt Crux ante Regem, ceu Apostolatus insigne, deferretur: quoniam eius ope, multi infideles populi, ad Christum conuersi essent. 3) Atque hinc est, quod vulgo cælo eandem delapsam, proinde ac Gallorum Reges tria sua Lilia, 4) credant. Quæ vero Attilæ & priscorum Hungarorum illa fuerint insignia, præter quattuor illa regni flumina, Danubii, Savi, Draui & Tibisci, quæ in hanc vsque ætatem persistunt, 5) sedulo licet inquisiuerim, nil certi tamen habeo dicere. Multa quidem de iis tricatur Theodorus ille Hœpingius, 6) quando *Equum candidum* in scuto rubeo, cum freno & ephippio; *Leonem* cum gladio; *brasice albae caput cum capra*, columnis portæ civitatis Budensis inscripta; *Coruum*; & denique *Aquilam*, Attilæ genti cum primis familiarem, quintuplicia videlicet ea fuisse fingens; quibus nonnulli *Lupum argenteum in parma nigra* attribuunt. sed, cum ex Hungarorum quorundam traditionibus modo, hæc talia se accepisse testetur, & proba-

probatum auctorem laudauerit neminem, neutiquam eius
 sententiæ subscribimus: Sicut nec eorum opinionem cum H.
 Conringio, 7) nunc in cœlis triumphante, adprobamus, qui
 eundem Stephanum ob id Divo Petro, aut Mariæ Virgini, pau-
 lo ante beatam eius analysin, Hungariæ regnum, cum omni
 iure suo, Romæ obtulisse scribunt. 8) Atque hinc in numisma-
 tibus Hungaricis, Deiparæ effigiem, dextra manu sceptrum, st-
 nistra Saluatorem mundi tenentem, hodiernum conspici-
 quam tamen numorum metamorphosin, vt obiter moneam, ,
 ante aliquot demum annos, quum purior hinc exulari iube-
 retur Religio, ortam esse vidimus; in vetustis namq; numisma-
 tibus, Salvator Ipse, cum sceptro & mundi sphæra, maternis
 hærens in vlnis, conspiciendus adest. Antequam e Patrio
 abeamus solo, operæ pretium duco, elegantes Sigismundi Be-
 tulii 9) versus, quibus in eadem, lusit insignia, recensere:

In cruce sola salus: hæc orbis schema redempti;

Victor in hoc signo, Panno, eris Osmanidum.

Sub cruce nunc vestem sanguis tibi purpurat albam:

In cælo Christi te diadema manet!

Ex eodem Pietatis fonte profluxit, quod veteres Saxonix Du-
 ces, inter alia, crucis etiam figuram vsurpauerint in suis insi-
 gnibus; 10) e cuius angulo vnoquoque hæc quattuor sigil-
 latim emicuere elementa: C. C. N. S. hoc in recessu habentia:
 C R U X. C H R I S T I. N O S T R A. S A L U S.

o) Sozom. hist. ecclesiast. lib. V.

Petr. de Rewa in Monarchia

tem

Regni Hung. cent. I. p. 2.

Euseb. in vita Constant. lib.

3) Henr. Spondan. epit. annal.

I. cap. 28.

Baronii, anno Christi M.

Oct. Ferrar. elector. lib. I. cap.

item

2. p. 4. seqq. edit. Patau.

I. Nadany Flor. Hung. lib.

1680. 4to.

II. cap. 2.

1) Anton. Bonfin. rerum Hun-
 gar. lib. VII. Decad. 7.

M. Ritius de Regib. Hung.
 lib. II. p. m. 215.

2) Cass. Ens rerum Hungar. lib.

4) Steph. Forcatul. lib. VI. de

II. in Stephano Sancto, p.

Gallor. imper. & philoso-

39. seq.

phia, p. 785. item

Cassan



- Cassan.* part. I. Catal. gloria mundi, confid. 38. concl. 59. 8) *Henr. Spondan.* l. c. itemque ad annum M. LXXIV. n. 81.
- 5) *Idem* concl. 38. & *Mich. Neander* in descript. orbis terrar. part. I.
- 6) *Tb. Hæping.* de iure armor. cap. 17. part. III. §. 1. 2.
- 7) *H. Conring.* de finib. imperii
- Germ. cap. XVII. p. 226.
- 9) *Sigis Betul.* im *Desterr. Ehren-Spiegel* / im IV. Buch. II. cap. und also übersetzt:

Unser Heil = Brunn ist das Creuz / Sinn = Bild der erlösten Erde:

Durch diß Mahometh von dir / Hungar! überwunden werde:

Ob ietzt rothes Blut bepurpert untern Creuz dein weisses Kleid /

Christi Ehren = Krone wartet auff dich in der Sternen = Heid.

- 10) *Laurent. Faust.* in opusculo, vernaculo edito idiomate: Erklärung des Sächsl. Stammes. p. 21.

Φάσις XVI.

Proximam huic insignium causam, qui rem exacte inuestigare student, natiuitatem, seu originem annectere solent. Ex hoc fonte constat, Alexandrum M. quod Olympiadem matrem, a dracone, sub schemate Iouis compressam, seque ex illo genitum, credebat, Draconis hinc imaginem, vt vetera loquuntur numismata, armorum loco, adpingere sibi consueuisse, id quod pluribus Philippus Camerarius o) commonstrat. De Gordio, Midæ parente, bubulco, Phrygum Rege, Curtius narrat; qui ne esset immemor ortus sui, pro insigni familiæ suæ aratrum adsumsit, inque consecrato Iouis templo posuit: ex funibus vero, quibus utebatur ad iungendos aratro boues, mirabilem illum nodum contexit Gordium, Ioui facrum, donec solueretur. hunc, velut ænigma, ex fatis destinatum,

natum, posteri in regno habuere; sed Alexander M. quum superueniret, nodum atque oraculum exponi audiret, exserto protinus gladio, dissecto vinculo, fata, dissoluto nodo, simul & ænigma expleuit. 1) Imitatus id primus Elector & XXXIV. Archiepiscopus Moguntinus, Willigis, carpentario siue rhedario natus parente, qui, vt se intra rectæ rationis, humilitatis atque modestiæ gyrum contineret, sortem suam gnauiter, perpendens, vt pristinam tenuitatem semper ob oculos haberet, atque in mentem reuocaret, *Rotam*, fabrile opus, non solum in sui cubiculi penetralibus, sed & passim in ædificiis & parietibus, ne vnquam memoria excideret, aureis depingi indidique literis curauit, hac cum pentametri versus inscriptione:

Willigis, recolas, quis es, & unde venis? 2)

Idem barbaræ etiam gentes sectantur, magno quorundam Christianorum rubore, qui superbia quadam genitores suos negare, minime sibi opprobrio ducunt; quando sciunt, summum esse laudis, ab angustiis rebus ad eximias prouectum fuisse; nec infimum honoris, maiores virtute suæ nobilitari. quod purpurati Turcarum Budensis, aduersus Rakozium, ignobilitatem Principis Transiluanix Barcsai, tum perstringentem, graui sane dicto, confirmat *αυτομας* Johannes Betlenius, Albenium Comes, illius verba, sequentibus referens: 3) *Nequissimus ille mortalium, ignobilitatem alterius perstringit: cum ex paruis initiis, virtute in altum eniti, quam ex alto, vt ipsi contigit, propter scelera deturbari, honestus sit. Ego, inquit, rustico natus parente, virtute simul ac honoribus genitores meos preiui.* In familia Principum Hennebergenfium idem notare licet, quæ gallinæ imaginem, ab antiquis temporibus, insigne habuit. Postquam vero, successu temporis, a Columnesiis, seu Columniis, stirpis suæ originem se trahere, persuasi, auctum insigne, & albæ Columnæ, coronam sustinentis digma, disco gentilitio insuper adiectum est 4)

0) *Philipp. Camerar. hor. subsec. cent. I. cap. 69.*

1) *Q. Curt. lib. III. cap. 1. §. 18.*

2) *Mart. Crusius lib. V. annal. Suen. part. 2. it.*

Nicol. Semar. S. I. rer. Mogunt. lib. V. in Willigisio.

3) *I. Betlen. rer. Transl. lib. II. c. 13.*

4) *Autor chron. Hennebergenf. lib. I. cap. 3.*

Φάσις XVII.

Sicut ex secreta animorum indole; vitæ statusque conditi-
 one; Pietate; & virtute bellica, armorum suorum fontem,
 alii quæsiuere: ita ex ominoso aliquo euentu; hieroglyphi-
 caque nominis conuenientia, multi populi, ciuitates, fa-
 milix sua deduxerunt insignia. Non obscurum eius rei
 exemplum, Aquila illa Regum Polonorum alba, coronata,
 expensis alis, rostro hians, in armis eorum conspicua, exhi-
 bet. Cum enim Lechus, primus Reipublicæ fundator, circa
 annum Christi DL. pacato iam imperio, deserta Poloniæ per-
 agraret, & idonea ciuitatibus arcibusque erigendis deligeret,
 loca, forteque inter lutosas paludes, natura & oportunitate si-
 tus munitum inueniret spatium, nidis aquilarum admodum
 fertile, factum hinc, vt oppidum, quod ibi excitauerat, *Gnesno*
 nominaret, a nido, quem patria lingua *Gnasdo* adpellant, atque
 ariolorum consilio Aquilam etiam, pro Patrio sibi stemmate,
 eligeret: vt in vexillis, ceterisque rebus bellicis, signorum mi-
 litarium esset loco, & exercitui præferretur. 1) Ex altero fonte e-
 manasse videtur, quod incluta & æternis elogiis deprædicanda
WRATISLAVIA, præter alia, quæ singulari dissertatione
 propediem exponere meditamur, literam W. Fundatoris Wratis-
 lai nomen, perpetuo eius honori, in Insignibus suis exprimat. 1)
 In familiis, hæc quoque ratio observata est. Præsto est Cor-
 vini nomen, quod Matthias, Hungariæ Rex, ob id adeptus est,
 quod eius familia *CORVVM* in Armis detulerit. 2) Quam ipsam
Corui imaginem, consuetis Hungariæ insignibus, in meditullio
 disci Gentilitii, rerum potitus, postea inseruit. Patet id vel
 ex singulis librorum codicibus, hoc ipsum insigne in fronti-
 spicio præ se ferentibus, quos ex vniuerso terrarum orbe,
BVDAM, in Arcis suæ sedem, Heros inuictissimus, amplis-
 simo congiario quondam coegerat. quorum potior adhuc
 pars, non secus ac mancipia, in Turcicis catastis gementia,
 liberationem nunc indies expectat; de quibus plura, Petrus
 Lambecius Vir CL. in *Commentariis de Bibliotheca Vindobonensi*, 3)
 ex ἀντίφραση commemorat. Ex nostra, **IENNENSI**, Baptistæ
 Gua-

Guarini codex, de institutione puerorum, manu nitide admodum exaratus, quam ex Budensi illa possidet, eadem plane loquitur; cuius non modo inspiciendi, sed & euoluendi copiam, bona Præfetti venia, quod grata hic recolo memoria, facile impetraui. Similiter & *CYGNÆ*, vulgo *Zwicke* dictæ, ciuitatis, in terra Misnensium sitæ, multis ante Christi natiuitatem annis, ab ipsis Cimbris conditæ, magnorum ingeniorum fertilissimæ illius Matris, vt nomen ipsum, ita & trium Cygnorum insigne suum, a clarissima femina fatidica, principe quondam eius vrbis, *Swanbilde* dicta, ob gloriam & nominis illius perpetuam, memoriam, adsumpsisse creditur. 4) Nostra ætate, *SCHWANENFLISIORVM*, illustris apud Wratislaviensis *GOETZIANÆ* Familie cognomen, non aliam ob causam *CYGNVM* in stemma gentilitium nacta esse videtur; quam vt præpete penna, meliora ingenia humo tollat, & ab iniuria temporum vindicet. quandoquidem Pythagoræ iam ævo, Cygnos, virtute symbolica, Musarum aues salutatos fuisse, scriptores referant. 5) Et quemadmodum Cælestis ille Cygnus, felix sidus est, in mari fluctuantium, suoque exortu cælum serenat, & tempestates dissipat: ita *GOETZIANVS NOSTER*, cum fulgido *VNI-VERSI SENATVS* Zodiaco, diuino ordinante Numine, Musarum nauiculæ, temporum iniuria prope naufragæ, portum tranquillitatis, vbi commode adpellere liceat, certo demonstraturus est. Quod si vero *GOETZIANVS* ille *CYGNVS*, illius oloris pullus esset, quem Socrates in gremio suo plumescere per quietem vidisse fertur? huic profecto suauissime canenti, nefas foret, graculos aut sturnos diutius interstrepere.

0) *Mart. Cromer.* de gestis Polonor. lib. II. initio fere.

1) *Nic. Henelius* Breslograph. cap. V. p. 54.

2) *Ioh. Limneus* I. P. lib. VI. cap. 6.

3) *P. Lambec.* Comment. de Biblioth. Cæsar. lib. II. cap. 9. p. m. 995.

4) *Tob. Schmidt* / in Chron. Cygn. part. I. cap. 2. item

M. Dresser. de Urbib. Germ. part. V. rubr. *Zwickavia.*

Paul. Langius Monach. in chron. Zizensi.

5) *N. Comes* mytholog. lib. VII. cap. 15. rub. de *Musis.*

Φάσις XVIII.

Restant plures alii insignium fontes, quos locorum fertilitas; scientia & eruditio; proprium arbitrium; ac quæcunque tandem ingeniosa fictio; fœdera & societates; migrationes gentium, & expeditiones variæ; quarum haut postrema, Gothofredi Bullionæi, primi ex Christianis Hierosolymitanorum Regis, memoranda foret: varii itidem euentus, ac prosperi rerum successus, aperuere. Verum nolim iis exemplis, quæ passim in scriptorum monumentis sunt obuia, animum lectoris longius obruere. Illud solum monemus, Orientis maxime populos, Persas, Armenios, Arabes, Saracenos, Turcas, cum sub æthere plerumque degerent ætatem, iuxta siderum cursum, & astrologorum placita, quicquid conarentur, feliciter procedere, arbitratos fuisse; quare & siderum imagines ad insignia sua trahere, commodum omnino ducebant. quod Turcarum exemplo, vt alia fileam, liquido demonstratur.

Φάσις XIX.

His ita relictis, de altera, quæ dissertationis nostræ frontem afficit, voce, pro instituti forma, tradere nonnulla conabimur. At hic quidem, si vsquam alibi, Philologi certant, quod liberum cuique sit iudicium. sunt, qui ex orientali, sunt qui ex Græca, nec desunt, qui ex alia lingua deducere fatagunt. *Turcarum* proinde, siue *Turcorum*, *Turcomannorum* aut *Turomannorum*, nec non *Iurchorum*, aut *Iurkorum*, itemque *Tzurkorum* & *Tzurukorum*, ut ipsi pronunciare consueuerunt, nomen, $\kappa\tau\iota\ \mu\epsilon\tau\alpha\ \theta\epsilon\sigma\tau\upsilon\ \alpha\ \square\ \kappa\alpha\ \rho\iota$, qui *Kedar* secundus fuit filius Ismaelis, filii Abrahæ ex Hagare natus, 1) ortum esse suspicantur. 2) Alii, cum illustri Scaligero, ab Arab. كرد *deseruit, reliquit*, vt $\mu\alpha\delta\omega\upsilon$ instar, ex receptissima Elmacini 3) sententia, dubio licet etymo, deducunt, quibus cum Matth. Martinio, 4) ipse Hottingerus 5) quoque subscribit. Hac forsitan causa moti Duretus 6) & Philippus Mornæus, 7) Turcas ita dictos existimant, quasi *reliquia* decem sint Tribuum: quorum tamen

tamen opinio, a tramite veritatis procul abluere videtur. Speciali nomine הַגָּרִי, *Hagarenos* vocari, & ab altero Hagaris marito stirpem trahere, ex Aben Efra, præter Drusium 7) & Fullerum, 8) vir, in historia orientali apprime versatus, laudatus Iohan. Henr. Hottingerus 9) refert: vt & סַרְסַרִים *Saracenos*, an a סָרַס *furatus est*, quod natio hæc rapacitati, vt idem Scaliger ex variis scriptoribus euincit, quondam fuerit dedita? an quod ex Saræ posteris, vel eius nepote, Esauo, descenderint? quæ Ruffini 10) & Cœlii Aug. Curionis 11) fuit sententia, vehementer equidem ambigo: cum ab urbe *Saraca*, eorum scilicet metropoli, cuius Ptolemæus 12) & Stephanus 13) meminere, denominari rectius posse, videantur. Nam, qui mappas, quas vocant, geographicas, quales accuratiores hodie Petri du Wal, paucis in Europa, partibus exceptis, vix vllas haberi crediderim, obiter modo inspexerit, vltro fatebitur, *αδύνατον* omnino fuisse, per tot hostilia regna, ex Asfyria 14) in Scythiam vsque, quæ tamen communi Historicorum consensu, genuina huius gentis sedes constituitur, eundem penetrare, potuisse populum. Et lubricum sane est, quicquid argumentorum a circumcissione petitur: hoc enim si obtinet, non minus Ægyptii, Arabes, Phœnices, Ammonitæ, Moabitæ, quam qui in extremis septentrionalis Americæ viuunt partibus, Iucatani, Hamaicani, inque infula Cuba, eodem circumcissionis ritu vtentes, 15) Israelitæ dicendi forent. Quod autem Saracenicum nomen, tam reliquæ Arabiæ gentes, quam certa hæc tantum inter ipsas natio retineat; eo ipso animare Muhammedem voluisse suos, ad rem strenue gerendam, quod posteris Saræ spem benedictionis D E V S promiserit, Fulleri 16) aliorumque sunt coniecturæ: quæ tamen id difficultatis habent, quod Hagari servæ, præ ingenua liberaque matre Sara, longe maiorem Turcæ habeant honorem reuerentiamq; , CL. Hottingero 17) ex Ahmed ben Edris id ipsum probante. Sane, ipsum nomen Ἰβηραι, ut antiquissimum, quod iam Herodoti temporibus sic scriptum legitur, non contemnendam gentis huius antiquitatem demonstrat. 18) Alii, ex magna & opulenta Asiæ vrbe, *Turca*, profectos esse, arbitrantur. 19) Id vero

hic notandum, Osmanos milites & aulicos admodum moleste ferre, si quis eos *Turcas*, cuius etymon prædonem, exulem, aut ruricolam ipsis significat, adpellet. 20) qui se ipsos potius *Islamos*, quod idem, ac vnanimes, nominant. Vnde precari non cessant D E V M, vt inter se perpetuo discordes esse velit *Gauros*, hoc est, Christianos, quos veluti *gentiles*, aut *paganos*, ab Ebraico גוים *Goi* vel גוים *Goim*, sic vocant, vt notat Leuenclavius. 21) Ipsi Turcæ, a Iapheto, Noæ filio, originem suam repetere solent; nec id adeo inscite, si populorum totius orbis origines, a Mose, veritatis historicæ parente, traditas, pro indubitatis habere volumus; modo non multis incrustata fabulis a Muhammedanis adfereretur. Id utique fatemur, Mosen Iapheti filii, Magog dicti, in Originum libro 22) meminisse; & Flauium Iosephum, interpretem huius eximium, ab hoc Magog Scythas prognatos scripsisse. 23) Scythiæ vero, communi illius gentium vaginæ, præsertim Asiaticæ, ultra flumen Tanaim, in Iberia non ignobilem *Vnnorum*, gentem fuisse, nemini non constat. Nam & Dauidem ipsum in Psalmis, 24) Chaldaicæ versionis, *Hungaros* loquentes introducere; & Iudæos Hungaros inde Hagarenos vocari, magnum Philologorum decus, Hottingerus 25) adserit. Ab his Turcos Græci prodiderunt ortos, cum primis Leo Sapiens, Imperator, Simeon, magister officiorum, Zonaras, Eustathius & Cedrenus, sæpius repetentes, Vnnos & Vngros nominari *Turcas*, qui ex Iugria in agros descenderint pinguiores, quales circa, Mæotidis paludem, Bosphorum Cimmerium, inque Iberia, Armenia, Pannoniaque fuere: Qui enim adhucnum Moscho vectigales Iugriæ sunt incolæ, non moribus solum, sed lingua etiam pari cum Hungaris vti dicuntur; & ipsum Iugrorum, seu Turcorum, nomen rem haut obscure innuere videtur, existimante GEORGIO SCHVBARTO, insigni Polyhistore & Præceptore nostro, in *notitia status Turcici*, Cap. II. §. 17. MSS.

0) *Genes. cap. XXV. v. 13.*

1) *Ch. Becman. in origin. Lat. Ling. ad rubr. Turca.*

2) *Elmacin. citant. Hotting. hist.*

orient. p. 153. conf.

Ioseph. Scalig. canon. chronolog. lib. III.

3) *Matth. Martin. Lex. Philolog. h. I.*

4) *Iob.*

- 4) *Job. Henr. Hotting.* hist. orient. lib. I. cap. 3. p. 26.
- 5) *Duretus*, citante *Christ. Besold.* in hist. Saracen. cap. II.
- 6) *Pb. Mornæus* de verit. Relig. Christ. cap. XXVI. p. 423.
- 7) *Drusius* Comment. priori in N. T. citante *Sculteto*, p. 12.
- 8) *Fullerus* miscell. sacra lib. II. cap. 12.
- 9) *Hotting.* d. cap. I.
- 10) *Ruffin.* hist. lib. II. p. 6. sq.
- 11) *C. A. Curion.* hist. Saracen. lib. I. pag. 7.
- 12) *Ptolem.* geogr. antiq. lib. V. cap. 17. p. 137. edit. *Magini.*
- 13) *Car. Stephan.* τὰ πόλεων.
- 14) *II. Reg.* cap. XVII. v. 23.
- 15) *Edoard. Brereuod.* scrutin. religion. cap. IV. conf. *Fuller.* in miscell. sacra. lib. II. c. 5.
- 16) *Fulleri* dicto opere lib. II. cap. 12. ex *Hieron. comment.* in *Esai.* lib. V. cap. 12. commemorantis.
- 17) *Hotting.* d. cap. I. p. 8. seq.
- 18) *I. P. Lang.* in deliciis acad. lib. IV. cap. 1.
- 19) *P. Bellonii* memorab. Græciæ lib. II.
- 20) *Christ. Becman.* in origin. ad hanc vocem.
- 21) *Leuenclau.* in pandectis Turc. num. 22. seq.
- 22) *Genes.* cap. X. v. 2.
- 23) *Ioseph.* antiquit. Iudaic. lib. I. cap. 7. item *Sam. Bochart.* geograph. sacr. lib. III. cap. 1.
- 24) *Psalms.* XXIII. v. 7.
- 25) *Hotting.* hist. orient. lib. I. cap. 1. p. m. 8. edit. nouæ.

Φάσις XX.

Diximus de nomine & origine Turcarum; age, nunc exponamus, qualia potissimum insignia explicandum nobis proposuerimus. Constat enim, *QVINTVPLICEM CORONAM*, quam sæpe gestant Imperatores Ottomannici, haut raro insignium Turcicorum nomine venire; 0) quanquam *Leuenclauius* contra referat, 1) Sultanos Tulipanto viridi, colore Muhammedis familiæ vnice proprio, caput duntaxat inuolueri, & cistis, imperii thesauros continentibus, traditis, gladioque cinctos, in folium collocari: quemadmodum nec ipsorum Sultanæ calyptra coronaue Regibus nostris vsitata, sed vetera tænia siue fascia, aut diademate, variis & exquisiti pretii gemmis distincto, quod ad synciput colligatur, caput exornant. Eodem

Eodem etiam habitu induitur Imperator Ottomannicus, quando Regum, Principum aut Rerumpublicarum Legatos in conspectum suum prodire patitur: sedens in folio humili, lectum, rectius dixeris, instratum pretiosa stragula, puluini exquisito opere elaboratis, & instar dimidiatae lunae accuminatum. Legato, cui statim post introitum, exhibita reuerentia, Sultani ad talos demissam tunicam osculari conceditur, illico adiunguntur comites duo *Bassæ*, qui vtrumque ipsi claudunt latus, iniectis manibus, ne commouere sese, aut brachiis libere uti valeat. Ita sane Turcarum fert consuetudo ab illo tempore, quo Croata quidam, in vindictam heri sui interfecti, Marci scilicet, Seruix domini, exardescens petito colloquio, Amurathem interfecerat. 2)

o) *W. Lazius* comment. de republ. R. lib. IX. cap. 18.

1) *Leuencl. Pand. Turc. c. CIC.*

2) *P. Taffern. hist. legat. Turcicae, iussu Imperatoris LEOPOLDI, susceptæ, A. 1672.*

Φάσις XXI.

Pro insignibus Turcarum allegari & haberi quoque solent quattuor Græci characteres, quos perniciem illam generis humani Muhammedem in gentilitia sibi delegisse insignia, P. Henricus Engelgraf o) Franciscus Angelus in arguto tersæque latinitatis opusculo, *homo omnia*, seu *microcosmus morali-physicus*, insignito, & animi truculenti haut obscuros indices referunt. Præferbantur videlicet ei in scuto aureo depicta quattuor Beta, B. B. B. B. quibus hæc paucis exprimere voluit: Βασίλειος Βασιλέων, Βασιλέων Βασιλείας, *Rex Regum, Regnans Reges.* Verum effrenem hanc hominis arrogantiam ferre non sustinens, quatuor hæc elementa subiecit non nemo: *bellua belluarum belluat im belluans.*

o) *P. Henr. Engelgraf. Luc. Evang. part. I. domin. XX. Trinit. p. m. 338. edit. Colon. 4to. it.*

q. *Angel. d. lib. I. p. m. 453. it. T. Hoeping. iure armor. cap. VI. §. 1195.*

Φάσις XXII.

Sic & alia magno Turcarum Principi insignia, seu rectius signeta

sign
quo
ræ
cis
es
gna
anis
rum
quie
niue
dina
Schy
vide
tant
rum
quoc
tion
quar
næce
de I
Gall
o)

atur
tudin
Zapo
Princ
plar,
nus fu
borau

signeta aut sigilla, esse perhibentur. 0) Aliud namque est, quod ipsius Sultani nomen, æri incisum, currentemque Hegiræ annum exhibet, non dissimili ratione, vt in scutatis Arabicis deprehendimus. Huius vsus exercere perhibetur, quoties cum extero Rege, Principe, aut Republica, aliisque Magnatibus non fœdus, quod cum Turcis commune est Christianis nullum, sed inducias modo paciscitur: quarum induciarum exemplar, præmissis nimis superbo arrogantique titulo, quem sacrae literæ soli D E O, creatori & conseruatori huius vniuersi, tribuunt, in causa induciarum octennalium cum Ferdinando I. Romanorum Imperatore, & Solymano, Turcarum Schyak, apud Busbeckium, in appendice legationis Turcicæ videre est. Quanto vero in titulis sibi attribuendis promptior; tanto in detrahendis aliorum facilius deprehenditur. Gallorum tamen hic Regem excipimus, quem titulo *Podeschair*, quod Imperatoris nomini æquipollet, adficere solet. Cuius rationem, modo illa vera sit, hanc reddunt: 1) captam aliquando viraginem Gallicam, illustri sanguine cretam, in gynæceum & concubinatum Imperatoris adsumptam fuisse; unde Imperator Turcicus crediderit, se consanguineum Regis Gallia redditum.

0) *P. Lang.* deliciar. academic. lib. IV. cap. 88. it.

III. cap. 3. §. 2.

Job. Christ. Becman. notit. dignit. illustr. disert.

1) *Idem* in historia orbis terrarum cap. X. §. 14. p. m. 738. edit. nouæ.

Φάσις XXIII.

Ne vero specimen fastus Muhammedici deesse hic videatur, singulare Solymani laudati, ob rerum gestarum magnitudinem, inter Sultanos gloriosissimi, quod cum Iohanne de Zapolya, Scepusiensium Comite, & Transiluania Vayuoda seu Principe, Anno M D XXIX. fanciuerat, induciarum exemplar, vel ideo videtur operæ pretium facere, quod paucis hætenus fuerit cognitum. forma iurisiurandi, quam insigni suo roborauisse dicunt, talis esse perhibetur:

E

Donator

Donator donorum & gratiarum ille summus creator DEVS, qui
 est magnus & potens, & per concessionem diuinae prouidentiae, qui utrius-
 que paradisi est Sultanus, & omnium regnorum istius machine gubernator,
 & alterius hemisphaerii caput, & exercituum principalis Reclor,
 qui est noster Prophetas Muhammedus, super quem Prophetam sit semper
 beneficatio & charitas diuinae excelsae clementiae, per cuius bonam grati-
 am, & suorum quattuor familiarium doctorum & magnorum secretario-
 rum Ebrobeckiz, Vrzer, Ofrean & Allydo, quibus benignus & excelsus
 DEVS, per suam infinitam clementiam, sit semper latus & contentus, &
 omnipotentis DEI & omnium sanctorum ac beatorum spirituum, ipsum
 laudantium: quorum concessione & gratia Ego Sultan Solymannus
 Schyak, Caesar Caesarum DEI gratia gloriosus, magnus & inuidiosissimus
 Imperator Constantinopolitanus, Rex Regum, dominus dominantiam,
 qui potens sum facere, quaecumque libet, dator coronarum, Umbra-
 culum DEI super terram, nepos inuicti DEI, magnus heros horum temporum,
 & fortis gigas latisimi huius orbis uniuersi; pauor & scutica Christia-
 norum, Ottomannicorum vero & circumcisorum spes optima; splendor DEI
 relucens, dominator albi atrique maris & inferioris Europae, Syriae, A-
 rabiae, Iudae, Cananae & Galilae, Phoeniciaeque, Alexandriae & Aegy-
 pti & magni Chayris, Aethiopiae, Mediae & Libyae, Lanchae, Indici &
 rubri maris, regni Hierosolymitani, Samariae, maris Tiberiadis, Da-
 masci & Alepii, magna Antiochia, Mesopotamia, Chaldaea & magna Ba-
 bylonia, cum maiore & minori Armenia, Parthiae, Persiae, Hyberniae-
 Georgiana, maris Caspii, Trapezuntiae, Taurisiae, Cappadociae, Casarea,
 Pamphilia, Cilicia & Tarsis, Caramania, Amasia, Paphlagonia,
 Lydia, Phrygia, Bythinia, & magna ciuitatis Niceae, Nicomediae, ma-
 gnae Chalcedoniae, totius magne Anatoliae, Graeciae, Thraciae, & magne
 Romaniae, Macedoniae, Thessaliae, Peloponnesi, Corinthi, Chersonesi,
 Albaniae, Bonnae, Bulgariae, Valachiae, Moldauiae, Scythiae & Tartariae,
 & multarum infinitarum prouinciarum, regnorum & imperiorum, ac-
 quisitorum vi & armis, & virtute bellica nostrae fulminantis frameae, An-
 tecesorum, Imperatoris Muhammedis Schyak, nostri beneficiati Parentis
 ad requiem, quorum immensa & excelsa clementia & beatificatio diui-
 na, cum animabus & spiritibus ipsorum in sempiternum sit: vobis sere-
 nissimo Iohanni, DEI gratia Regi Hungariae, Croatiae, Dalmatiae, Mo-
 nuae &c.

Ego

Ego prefatus Sultanus Solymannus Schyak, Imperator Turcarum inuictissimus, iuro ad omnipotentiam DEI altissimi, omnipotentis, sanctitatem, splendorem & bonitatem diuinitatis suae, ad firmamentum caeli, solem, lunam, stellas, terram & superficiem terrae, ac ad Regum sanctissimum Mahammedem, Proauum, Auum, Patrem, Matrem ac panem meum, gladium, animam & vitam meam, ac omnium Bozermannorum circumcisorum salutem, quod te, fratrem meum iuratum, Iohannem videlicet Regem, quaque necessitate non derelinquam, si etiam omnia imperia, regna & potestates meae uniuersae pessundarentur annihilarenturque, ac remanerem solus, vel unico saltem circumciso Bozermann vocato, siue cum duobus, tribus, aut ad summum quattuor personis, & cum istis obliger ac tenear te requirere ac perquirere, tibi que ea dicam: hic adsum ego paratus, si quid me velis, praesto sum ad omnia tibi gratificari; & si promissioni meae non satisfacerem: ex tunc ira summi DEI, eiusque iustitia, supra meum veniat caput, & me totum disperdat, & quicquid corpus meum attigerit, altissimus DEVS omnia in petram conuertat, ac firmamentum terrae me amplius non sufferrat, sed terra ipsa in duas partes diuidatur, ac me totum corpore & anima absorbeat, &c.

Latinis hoc iusiurandum, quod Turcae ATHNAME vocant, conceptum fuisse verbis, & eiusdem commatis singulis Transilvaniae Principibus per literas quondam transmissum a Sultanis, Laurentium Toppeltinum, o) Transiluanum, testem producere possum; qui idem tamen, Turcas hodie id amplius facere, inficiatur: at publicae tabulae d. XVI. Februarii MDC LXXXIII. Cassouia Hungarorum, eiusdem tenoris a Turcarum Imperatore, Comiti Emerico Tökeliö, non sine solennitate, transmissum fuisse, in aula Ottomannica adhucnum hoc institutum vigere, abunde testabantur. Tali vero idiomate exaratis literis, Turcis minime habendam esse fidem in contractibus, pridem Dux Venetorum, Andreas Grittus, ciues suos monuit; sed ante, quam admitterent, vt redigerentur in Turcicam linguam: legem enim moremque esse Turcarum, vt ea, quae sua lingua scripta non sunt, obseruare nequam teneantur, i) omnino suavit. Verum enim vero, contrarium fere historiae loquuntur: nam & ipse Solymannus,

capta vrbe arceque Budensi, vbi Viennam etiam, quæ virtute Philippi Comitis Palatini ad Rhenum; itemque Comitis Nicolai a Salmis strenue defensa seruabatur, menſtruo ſpatio nullo non armorum genere fruſtra expugnare tentaffet, re infecta redux, Iohannem illum Scepuſienſium Comitem, cum proceribus ſuis accerſit, diadema regium, & alia ornamenta regalia, proferri iuſſit, inque ſpectabili ac ſolenni conſeſſu Turcarum, illi dixiſſe fertur: 2) *Amice & frater, quandoquidem in tua calamitate ad me, & meam opem, poſt DEVM, confugere voluiſti, ego quoque intellecta iuſta tua cauſa, in patrocinium ſuſceperim, promouente conatus vtriuſque noſtrum DEO, ea, quæ pro te agenda ſuſceperam, peracta ſunt; en in manus tuas & poteſtatem tuam Arcem Budamque urbem, & totum Hungariæ regnum hodie trado, & te Regem Hungariæ declaro & pronuncio: vobis autem, Proceres Hungari, denuncio, vt huic Regi veſtro ſitis obediētes, eiusque imperio fideliter obſequamini; id ſi feceritis, habebitis me amicum; ſin minus, mea framea ſeuiet in vos. Tu vero, amice Rex, DEI & beneficiorum meorum memor eſto. hic habes diadema, hic reliqua omnia ornamenta regia, quibus & tu, & heredes tui, feliciter in futurum vtantur!*

o) Laur. Toppelt in. in reuolutio- 1) P. Bembus lib. IV. hiſt. Venetæ
nibus Tranſiluan. p. m. cap. 60.

178. ſeq.

2) Laur. Toppelt. d. l.

Φάσις XXIV.

Porro, peculiare Turcis eſt inſigne in obſignandis prægrandibus illis faccis, ſiue culeis coriaceis, auro diſtentis, quoties Princeps ſecretiori ſuo ærario, non ſine pompa inferendos decernit. Secretius diximus; cum geminum, imo triplex Sultani reperiatur ærarium Conſtantinopoli, commune alterum; alterum ſanctius. in illud inferuntur proventus totius imperii Turcici, tam ſtati ſiue certi, quam qui colliguntur extra ordinē: cuius claues ſunt in poteſtate primi Vezirii & magni theſaurarii. Neque mala ob id fide tantos adminiſtrare cenſendi ſunt theſauros; cum probe nouerint, ſpongiarum inſtar, a Principe ſuo haberi, quæ, quicquid modo hauſerint, vbi commodum illi viſum fuerit, ſubito a ſe exprimi: in hoc, quod haut longe ab ipſa habitatione magni Principis abeſt, & vt nonnulli volunt,

volunt, sub ipso eius cubiculo, in quo dormire solet, exstru-
 ctum, singulis fere annis, quod ex prouinciis tributariis colli-
 gitur aurum, quali numorum genere, quod *Sultanicum* inde
 dicitur, vnice placatur, solenni totius aulae pompa, per mu-
 tos quosdam, vt meliori silentii fide visa occultent, redigitur,
 inque cryptas subterraneas reconditum demittitur, aditu, vt
 nunquam hinc redire possit, muro valide satis obstructo. Sic
 fit, vt pecunia, quæ cum timore seruatur, & cum labore colligi-
 tur, cum dolore tandem amittatur! Atque hoc est illud gazo-
 phylacium, per orbem vniuersum decantatissimum, quod alii
 omnium diuitiarum centrum, alii mare aliquod, in quo omnes
 mundi influunt opes, nil quicquam inde refluentem, non imme-
 rito dixerunt. Et nescio sane, an publicis hic nouellis, die XIX.
 Nouembr. labentis anni, Venetiis perscriptis: Sultanum sci-
 licet, ob exhaustas communis ærarii vires, secretius hoc su-
 um, pro conducendo milite, reserauisset, & vel in vna modo
 eius cella, aureorum XXXVI. milliones, vt Itali vocant, repe-
 riisset, fides tuto adhibenda veniat; quando constat, potio-
 rem militiæ partem, in hoc imperio, absque omni militare stipen-
 dio. Præfectus huius thesauri, qui *Chasnadar Bassa* dicitur,
 clauem ad hanc gazam habet vnam; ipso Sultano habente al-
 teram. Tertium ærarium est in gynæconitide, siue *Seralio*, vt
 vocant, Sultanarum, ex quo sumtus depromuntur pro victu
 & cultu reginarum: cuius præfectus *Seruiagassi*, seu capitaneus
Seralii nominatus, perinde ac qui secretiori præest, eunuchus,
 & tributariis Christianorum liberis collectus sit, necessum est.

Φάσις XXV.

Aliud insuper Turcarum esse perhibetur insigne, quod in
 supremo tribunali, *Diuan* gentilitia lingua vocant, maioribus in
 negotiis roborandis & confirmandis, nam minora *Cady*, seu iu-
 dices ciuitatis, decernunt, a primo Vezirio adhibetur. quemque
 sola huius traditione præsidem tanti muneris constitui, & hoc
 sublato exauctorari, vel publica tabularum fide, edocti su-
 mus. Cum enim superiori proxime anno *Kyupurly*, minime ex
 voto rem gessisset, redux, ante *Diuan* sigillum, quam Imperato-

ris iussu laqueo vitam finire iuberetur, Adrianopoli ab eo postulatum est, quo eius filium, continua parentis auique successione, quod profecto admirabile, cum nulli, præterquam Ottomannicæ familiæ, aliquis in hoc imperio habeatur honos, Sultanus, seuera cum admonitione, ad idem munus in Diuano obeundum, absque vllis ceremoniis, inaugurauit. Ante vero, quam insigni hoc acta roborentur, coguntur litigantes ipsi pro se causam dicere, in conspectu Præsidis Purpuratorumq; suorum, Sultano ipso occulte singula obseruante, nec locus hic est Aduocato, aut Procuratori, quod hominum genus maximo pere, ob iniustitiam, Turcæ detestantur: ducit autem actor, manu vel veste comprehensum, ad magnum hoc consilium, vbi necesse habet ipse ad obiecta respondere, cumque duorum pluriumue testium Turcicorum, Christianorum enim, Iudæorumque, nulla hic habetur ratio, & centum vnus modo Turcæ superant testimonium, fides accesserit, e vestigio reus vel absoluitur, vel condemnatur. Quid? inquires cum Lipsio, 1) non interdum iudices improbe, aut improbi? credo esse: sed in rebus humanis nihil sinceri est, & eligenda, quæ minus noxæ habent. qua de re nobilis Harsdörferi verba grauissima ad calcem infra legas licet. 2) In decidendo codicem Iustinianæum, in lingua Turcica conuersum, normam sequuntur, ceu ex Leuenclauio Matthiaque Stephano, 3) egregie probatum iuit Arthurius Duk *de usu & auctoritate iuris ciuilibis*. Ad hoc tribunal desperatæ sæpe mercatorum, etiam Christianorum lites, tonnam auri & amplius æstimatæ, ex Anglia, Gallia, Belgio, neglectis, ob partium forte studium, domesticis iudiciis, decidendæ transmittuntur; vbi secundum acta & probata, re bene pensitata, ita sane lis fuit decisa, vt neutri a barbaris, minime barbære lata sententia displiceret parti: ceu nuper in nouellis hebdomadariis relatum legimus.

o) Benedig vom 23. Novembr.
1683. st. n.

1) I. Lipsius monit. polit. lib. II.

2) Harsdörffer / Schauplak /
cap. IX, Türken / Persianer /

Unger / Stebenbürger / auch
Schweden und Schweizer /
halten nicht viel von langen
Processen, sondern geben ge-
schwinde Abschiede: und ob-
gleich

Gleich bisweilen einem Unrecht
geschlehet / so ist es doch nicht zu
rechnen / gegen dem vielfältigen
Unrecht / Schaden / Mühe und
Unkosten / so durch langwierige
Processe, und die Markt- und
Blut-aussaugenden Schreiber /
Sachwalter / Schriftsteller
und Zugehörige / verursacht
werden : Der hochgelehrte
Franciscus Rebalais, giebet zur
Rechtfertigung diesen Rath /

man solte darümb würffeln /
warümb man rechret / so werde
man mit geringer Mühe davon
kommen / und ja wohl so gutes
Recht erlangen / als von und
durch Advocaten / und weislauff-
tige gestellte Processe, die einens
Gut / Muth und Blut aussau-
gen.

3) *Matth. Stephan. lib. II. de iu-
risdict. part. 2. cap. 7. num.
336.*

Φάσις XXVI.

Tandem, plus quam notoria illa sunt Turcarum infi-
gnia, quibus militibus suis, bello vt se parent, indicare con-
sueuerunt. Scilicet, quamprimum Sultanus, expeditionem
decernit, in hasta bene longa, circa pomeria vrbis Constanti-
nopolitanae, *equineae, sanguineo tincta colore*, eriguntur *cauda*. ad
quorum conspectum, tanquam ad indubitatum futuri belli
signum, ex omnibus prouinciis populi adcurrunt, quibus re-
censitis, cursum, quo tendunt, sine mora dirigunt. Has de-
inde caudas, in ipsa acie, quam ad similitudinem *luna corniculans*
is Turcae formant, ducibus singulis, Veziriorum titulo gauden-
tibus, tanquam dignitatis suae insigne, labaro, seu vexillo ad-
nectere licet. Ludicrum hoc institutum ex eo originem tra-
xisse fertur, o) quod, cum Turcae contra Christianos praelio
aliquando decertarent, & ductor vexilli occubuisset, militesq;
stationes suas deferere iam viderentur; primus Vezirius rescis-
sam equi caudam hastae infixit, & sic dispersos fere, iterum in
ordinem coegit, protosigniferi vices mascule obeundo. Hoc
si quis accuratius expendat, facile iudicauerit, an labarum,
charactere hoc destitutum, pro primi ipsius Vezirii venditari
possit; quo tamen nomine Romano Pontifici, mense Decembri
M DC LXXIII. oblatum aliquod fuisse, publicae relati-
ones testatae sunt. Reliqui militiae duces, Bassae, Begi, & Be-
glerbe-

glerbegi, Sangiaki, ab ipsis dicti, holoserico vexillo, sed vnus modo coloris, exercitum suum dirigunt; Bassis Veziriis, gemino colore insuper labarum explicare licet; ipse Sultanus, si expeditioni interest, septemgemino colore insigne militiae præferre solet: eo, quod septem mundi climatum dominus a suis salutetur, sed de coloribus Turcarum in *sectione tertia*, pluribus agendi locus erit. Concludemus hanc *Φάσιν*, famoso *Muhammedis labaro bellico*, quod tanquam fatale Religionis & Imperii sui insigne, Turcæ stolidè reputant, & tanquam sacrum aliquod cimelion, tantisper occultant, donec ad incitas se redactos lineas, imo extrema sibi quæque imminere videant. Tum continue illud explicant, quo viso, nescio qua deuotionis specie, erga Prophetam suum, animi populorum illico accenduntur; vt hoc glaucomate Imperatores Ottomannici, non in acie belli modo superiores, sed ex intestinis regni motibus salui sæpe euaserint. quod ipsum Sultantum etiam, qui nunc rerum potitur, superiori mense conatum fuisse in vrbe Cpolitana, publica historiæ fide, Vienna edocti sumus.

o) *I. B. Tauernier*, in *Serail*. pag. 10. seq. vernaculo idiom, Ienæ 1680. edit.

Φάσις nouissima.

Sed in hæc aliaque insignium genera, apud Turcas usitata, prolixius inquirere, nec chartæ finit angustia, nec nostri fert instituti ratio. quare in illa potius, quæ κατ' ἐξοχήν illorum dicuntur insignia, & quæ Muhammedani omnes pro suis agnoscunt, *L V N A M* scilicet *CORNICVLATA M*, eamque *ARGENTEA M* in *CAMPO VIRIDI*, cuius figuram in ipso frontispicio expressimus, digitum intendemus. Nihil vero de natura, motu, lumine, maculis, eclipsibus, influxu, quem equidem, præter lucem, nullum agnouerim, variisque lunæ adfectionibus, ex Mathematicorum, Physicorum Astrologorumque sententia, & quorumuis antiquorum pariter & recentiorum scriptorum monumentis, nisi incidenter plane, & ceu equidem reor, accommodate, cum similibus aliis, in medium prolaturi.

SECTION II.

SECTIO II.

De primo *LVNÆ TVRCICÆ*

Auctore.

ΠΑΝΣΕΛΙΝΟΣ.

- Φάσις I. de origine & principio *LVNÆ TVRCICÆ* varias sententias pandit,
- II. Cur orientales maxime populi Lunam coluerint; eiusque effigiem ornamenti loco habuerint, causa exponitur.
- III. Sacris & profanis testimoniis illud confirmatur.
- IV. Tempora antediluviana caruisse idololatriis, solutis in contrarium argumentis, a Iohanne Seldeno allatis, demonstratur.
- V. Cainum apostatam, creaturas adorasse vix probari potest: cultus idololatricus in *proprium* & *symbolicum* distinguitur.
- VI. An vniversa Gentilium Theologia ad bina illa cœlestia corpora reuocari possit? marem Lunam veteres credidisse & feminam, eorum testimoniis confirmatur.
- VII. Ritus sacrificandi Lunæ, mentitis sexuum vestimentis, Carrenorum exemplo probatur.
- VIII. Auctores de sacrificiis Lunæ, vel per transcursum citantur.
- XI. Luna ab Asiaticis culta sub nomine אַשְׁתַּרְתּוּת seu *Astartis*: מַלְכַּת הַשָּׁמַיִם seu *Regina cæli*, Vranix, Deæ Syriæ, aliisque, vel Salomonis & Iudæorum exemplo firmatur: origo vocis Astartis ex Procopio & Suida expenditur: Petrus Daniel Hue-tius modeste notatur: ac quo loco *DEMONSTRATIO EV-ANGELICA* eiusd. opus habendum sit, indicatur: Astartem non aliam esse ac Lunam, Herodiani & Lucretii testimoniis, euincitur, & obiectionibus Baronis ab Herberth respondetur.
- X. Cultum Lunæ ex Asia in Europam etiam migrasse, monumentis quibusdam, ex Anglia & Italia petitis, probatur.
- XI. Lunam Ægyptios sub nomine Apis & Mneuis, itemque Isidis coluisse; euoluto huius etymo, Plutarchi demonstratur testimonio: interpretationem Theologiae Ægyptiorum admodum esse difficilem: quid ea in re Athanasius Kircherus præstiterit, gra-

F

ui lo-

- ui Iohannis Ouueni iudicio; ac quæ Isidis sit cum Luna conuenientia, indicatur: Germanorum etiam Isidem fuisse Deam, marmora Isidis, oppida Isidis, *Eisenach* / mons Isidis, *Eisenberg* / herba Isidis *Eisenkraut* / statuæ Isidis, abunde docere possunt.
- XII. Græcos rebus in agendis superstitione Lunam obseruasse, & mille salutasse nominibus; Dianæ puta, Lucinæ, Lochiæ, Latonæ, Iunonis, Cereris, &c.
- XIII. Hecatis, Luciferæ, Veneris, Ilithiæ, cuius numen nomenq; Græcos ab Hebræorum Lamia ליליא dicta, quæ eadem ac Luna, accepisse ostenditur.
- XIV. Lunam Romanorum quoque fuisse Deam, aræ & inscriptiones: calendæ: mulei sub Luna corniculantis figura, Patritiatus insigne: vexilla lunargentea, militiæ Ducum, abunde produnt.
- XV. Eadem ab Arabibus & Saracenis culta salutabatur Alilat, seu Alitta, nec non Gabar & Venus.
- XVI. Huius effigiem Muhammedani in lapide quodam adhucnum Meccæ honorare dicuntur.
- XVII. Veneris, seu Lunæ feria Turcis sacra.
- XVIII. Ab hoc ergo ritu, natales insignibus Turcarum accersendos esse, magnorum hominum coniecturis recte concluditur.

42.
XIX. Transitio ad alias de origine horum insignium causas.
- XX. Muhammedis etymum Hebræum & Græcum.
- XXI. Eiusdem natiuitatis tempus, themaque genethliacum.
- XXII. Parentibus gentilibus, ex familia minime ignobili ortum esse, vero similis statuitur.
- XXIII. In vrbe Mecca Lunæ sacræ die natum, Historici produnt: quod vitæ genus exercuerit: & quis Reipublicæ Christianæ tumi status fuerit? quid libri Alcoranus sit? & qua ratione sic inclauerit Planus ille?
- XXIV. Num ex Hegira, seu fuga Muhammedis, cum magno Scalligero, ad insignia argumentari liceat? an ab auspicio muneris sui? an ex natali emortualiq; die? num in miraculo, quod in lunæ corpore patrasse eundem nugantur, subsidium hac parte quodpiam lateat?
- XXV. An somnium Ertuculi, Osmani Parentis, quod de Luna habuisse fertur, fulcrum aliquod eius rei contineat?
- XXVI. Quid Bizantinorum Imperatorum numi, Lunæ corniculantis insigniti effigie, roboris habeant? Adducuntur CL. Spanhemii de iis coniecturæ.
- Φάσις nouissima*, harum opinionem decisionem sistit.

Φάσις

Φάσις I.

De inuentore ac tempore, quo Turcæ *LUNAM CORNICVLATAM* in signum imperii adsumendum, ac Osmani æuo ceu proprium sibi vendicandum adducti fuerint, variæ quidem literatorum hominum sunt sententiæ, quas tamen in quadrum potissimum reddigi posse, non incongrue quidem auguramur. Sunt quippe, qui ab ipsa ætate Adami, Mosis aut Salomonis, & subsequentiæ temporum, originem repetunt: sunt, qui a Muhammedis æuo: nec desunt, qui diu, post impostoris huius manes, consuetudinem hanc inter Turcas inoleuisse: vel qui ab Imperatoribus Bizantinis, vti Imperium, sic etiam insignia habere, contendunt. Nos singulas has opiniones, vna cum rationibus suis, cum vulgares de rebus Turcicis libelli neque volam neque vestigium eius rei contineant, pro ingenii viribus, breuiter expendemus.

Φάσις II.

Qui ad tempora, Muhammedem antegressa, morem hunc referunt, hanc reddunt causam: lunam, orientales maxime populos, quos inter & Saracenos, Turcarum antecessores, siue pulcritudine, siue vtilitate sua decepisse, vt eius imaginem, Reges pariter & subditi, semper in deliciis habuerint, & ornatus loco, camelis & mulis eorum, aliisque rebus passim adplicuerint; imo religiose etiam coluerint. Docent id prisca religione sacri recessus, templa & aræ, eidem sacrata, loquuntur, confirmant numismata, sacri & profani testantur annales. Cum enim impii, supremum totius vniuersi Dominum, *Φῶς οὐρανῶν ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ*, non omnino caperent, sidera vero sibi, in illa mundi plaga, vbi in aprico aere perpetuo pernoctandum foret, semper conspicua, ac inter hæc lunam cum primis, aduerterent, terris esse familiarissimam, ac remedium tenebrarum a natura destinatum, crescentem semper ac fenescentem, curuatam modo in cornua, modo æqua portione diuisam, sinuatam modo in orbem, maculosam, eandemque subito prænitentem, immensam orbe pleno, ac repente nullam; alias pernoctem, alias fer-

ram, & parte diei solis lucem adiuuantem; deficientem, & in defectu tamen conspicuam. hanc mensis exitu latentem, iam humilem & excelsam: & ne id quidem vno modo; sed alias admotam cælo, alias contiguam montibus, nunc in aquilonem, elatam, nunc in austrum deiectam, deprehenderent, ignari tantæ rei, relicto eius Creatore, creaturæ huic, detestando more, se totos dedere.

Φάσις III.

Ipse Iobus, quem consentiens Interpretum prope omnium, & Chronologorum opinio, adferente hoc Huetio, 0) Mosi coæuum facit, ita cultum eius detestatur: 1) *Si, inquit, solem adspexi, cum splenderet, aut lunam, nobiliter incedentem, & seductum est in abscondito cor meum, & adplicata est manus mea ori meo; etiam hæc est iniquitas, a iudice vindicanda, quia sic negassem DEVM supremum.* Patet hinc vetustissimus adorationis ritus, vt scilicet manus ori admoueat, & caput simul inclinando, illa deosculetur, tenuique murmure astrorum gratia imploretur, quem & Ouidius recenset: 2)

*Restitit, & pauido, faueas mihi, murmure dixit,
dux meus, & simili, faueas mihi, murmure dixit.*

Huius adeo Turcæ sunt retinentes, vt siue in templis sacra faciant, siue publica in platea sibi mutuo occurrant, caput nunquam adperiant; sed manu seu ori, seu pectori adplicata, capiteque inclinato, se alternatim salutent. 3) Et hic est ille cultus, quem ipse DEVS toties in sacris interdixerat: 4) *Ne, inquit, eleues oculos tuos in cælos, & videas solem & lunam, atque stellas, cum vniuerso exercitu cælorum, & impellaris, vt adores ea.* Admodum ergo in hanc superstitionem pronum fuisse humanum genus, post diluuiiana illa secula, vel hinc constat: siue quod impii Noachi posterii diuinitatem solo metirentur sensu; siue, quod rationis ductu impulsæ & seductæ, vt voces sacræ innuunt, commoda corporum cælestium diuinitatibus attendere.

- 0) Huetius Demonstr. Euang. in lib. IOB. 2) Ouid. metam. lib. IV. fab. 4.
1) Iob. cap. XXXI. v. 26. 27. 28. 3) Taffern. relat. legat. Turc.
4) Deut. cap. IV. v. 19.

Φάσις

Φάσις IV.

Neque vero post diluuiana modo tempora impietatis hunc errorem homines inuasisse, sed ipsum Adamum *Luna* fuisse, *Apostolum*, vocasseque homines ad eius cultum, R. Maimonides tradit. 0) Petrus Megerlinus, I. V. D. & Matheseos in Academia Basileensi P. P. 1) Serugum, seu Saragum, filium Regu, cuius Gen. XI. v. 2. seq. genealogia habetur, primum idololatriæ & monetæ inuentorem pronunciat. Sed vereor, vt suam nobis satis fidem liberent auctores, qui in rebus tantæ obscuritatis, certi quidpiam; decernere audent. Quemadmodum, autem Iosephus, 2) Suidas, 3) Philo, 4) Sethum Astronomiam duabus tradunt inscripsisse columnis, & Enochum Astrolatriam inuenisse: ita ex Beroso, recentiores quidam, quos inter Iohannes Seldenus, 5) homines ante diluuianos, in impium Astrolatriæ cultum se effudisse, statuunt. Chamum vero nominatim, maledictum Noachi filium, a gigantibus, longe ante vniuersalem illam cataclysin, hanc didicisse, & posteris suis, Ægyptiis & Chaldæis, tradidisse, ex eodem auctore commemorant. indeque esse, quod Chamum, *Zoroastrem*, quasi *uiuens astrum*, a discipulis salutatum; 6) & animam eius, post mortem, inter sidera relatum fuisse, crederent. Verum nulla manifesta vllius Astrolatriæ, stricte sic dictæ, in prioribus illis seculis prostant vestigia, quicquid etiam Historici ex Targumistis aliisque hac de re garriant. imo nec ante, turris Babylonicæ constructionem, quam forte Astronomiæ excolendæ gratia; vel in æternitatis sui memoriam, circa annum centesimum secundum post diluuium, moliti sunt superbi Noachidæ, nulla expressa cultus arbitrarij demonstrari posse monumenta, plurimorum est sententia. Nam, quis credat, recentem Creatoris cœli terræque memoriam, & expressam eos inter & IEHOVAM communicationem, ex animis hominum, tam subito euanescere potuisse? Quis Noachum, magnum illum, patrem familias, pio zelo paternaque sua disciplina, totum humanum genus, a se ortum, cohibere non potuisse, existimet?

Illud equidem largior, Chami posteros, quos veri DEI cultus
 tædium cœperat, propriæ mentis consilio fuisse permisos, vt
 sensim in Astrolatriam se effunderent; ipsum vero Chamum,
 quam ex institutione parentum, vagaque traditione, scintillis-
 que imaginis diuinæ, habebat DEI notitiam, prorsus abieci-
 se, vero non videtur simile. Urget clarissimus Seldenus 7) ex
 ultimo commate IV. Geneseos capitis, vocem הוהו , quæ
 illic reperitur, a הוהו ortam, quæ diueusimode flexa, profanandi
 significationem obtinet, vt Lev. XIX. v. 12. *non profanabis הוהו*
nomen DEI tui; vt adeo & illic Moses digitum intenderit, quasi
 sacrosanctum illud nomen, quod totius vniuersi Creatorem
 & Dominum designat, rebus creatis impie tributum fuerit.
 Sed pridem ab insigni Philologo Hackspanio, 8) & nuper a ciue
 suo Iohanne Ouueno, 9) Seldeno responsum est, non nomi-
 nis diuini profanationem; verum Ecclesiæ reformationem, in-
 nuere Sanctum Spiritum. Ante diluuium enim, pergit hic,
 omnem carnem viam suam corrupisse, DEVS ipse conque-
 ritur; neque dubium est, quin apertissime DEO & religioni
 bellum indixerint apostata; scelere vero Astrolatriæ, aut ido-
 lolatriæ, stricte sic dictæ, obnoxios fuisse, nullum testimoni-
 um exstat, nullum probabilis coniecturæ faciendæ fundamen-
 tum. Rectius ergo faciunt, qui primordia huius superstitio-
 nis, ad gentium illam Αγαρωγών Babyloniam, referenda cen-
 sent.

0) Maimonides cap. XXIX,
 part. 3.

1) P. Mergerl. in teatro di-
 uini regiminis, Basileæ
 anno 1683. edito, ad
 vocem *Serug*.

2) Iosephus antiquit. Iud. lib. I,
 cap. 3.

3) Suidas, in voce *Setb*.

4) Philo in antiquit. biblicis.

5) Seldenus de DIis Syris cap.
 III. prolegom, conf.

Andr. Beyer. additament.
 ad Selden. p. 55.

6) Ursinus in exercit. famil. de
 Zoroastre.

7) Seldenus d. l. pag. 28.

8) Hackspan. not. philolog.
 part. I. pag. 118. conf.

S. Glass. Gr. sacr. p. 235. 304.

9) Ioh. Ouuen. $\text{θεολογικῶν$
 πεντηδάκτων . lib. III,
 cap. 3. p. m. 181. edit,
 Bremens. 1684.

Φάσις

47.
Φάσις V.

Illud equidem negari vix potest, Cainum, cum posteris suis, a solenni DEI cultu penitus defecisse. Et probabile est, Ouueni sunt verba, o) ciues Henochenses, quibus ille præfuit, Gen. IV. cultum istum, sacrificiorum scilicet, vnde primam, mali labem traxerat, repudiasse, atque ritus nouos suo arbitratu vsurpasse. Neque tamen Cainum eatenus hominem exuere, possibile erat, vt alios sibi Deos, post expressam & apertam illam, quæ eum inter & IEHOVAM, omnium Creatorem, intercesserat communicationem, fingeret. Probe vero hic distinguendum monet CL. Vosius 1) inter cultum idololatriæ *proprium*, quo siue solem, siue lunam, aut aliam quampiam creaturam, reuera Deum esse, credebant; & *symbolicum*, quo beneficas naturæ vires solum significare conabantur veteres, quod genus mundo antediluuiano familiare quin fuerit nil obitare, ait. Succedente autem tempore Satanas, mille fraudum artifex, circumiuit vniuersos, in nihil æque intentus, quam, vt si quid ex salutaribus Adami, siue Noachi præceptis in mentibus eorum reliquum foret, prorsus tolleret, & ad varia superstitionum placita perduceret, ita, vt nomen Θεῶν non modo soli, aut lunæ, sed & iis fere omnibus, qui insigniter iuuant, imo & sæpe nocerent; vt taceam, infimis quibusuis cæpis & aliis, nec non rebus deformibus, vulgo tributum fuisse; donec tandem cultus vtrumque genus inextricabili hallucinatione ab imperitis confunderetur: nec quidpiam interesset, an symbolum, an Numen ipsum, an symboli figuram adorarent impii.

o) *Iob. Ouuen. Theol. natur. d. l.*

I. G. Voss. Idololat. lib. I. part. 2. cap. 5. p. m.

15. edit. Amsterd. 1668. fol.

Φάσις VI.

Infinita tamen gentilium numina, ad solem lunamque reuocari posse, multi eruditorum statuunt. quinimo omnes Deos ad solem, omnesque Deas ad lunam referri posse, Macrobiū est sententia; o) quam Philippus Cluuerius 1) adeo depe-

rit,

άσις

rit, vt non modo singula Deorum numina ad vnum pertinere solem, Dearum vero ad lunam; sed & ea ipsa varia solis lunæque nomina, de quibus mox pluribus dicturi sumus, ad vnum, verum, æternumque DEVM esse referenda, censeat. modo hoc Cluuerio largiantur Theologi; modo illud Macrobio gentilis Philosophiæ periti. Fatetur id luna ipsa, eleganti *μεγιστοποποιία* ab Apuleio 2) introducta: *Nomen meum, inquit, unicum, multiformi specie, ritu vario, nomine multiiugo, totus veneratur orbis. Me primigenii Phryges Pessinunciam nominant DEAM MATREM; hinc Autochthones Attici GECROPIAM MINERVAM; illinc fluctuantes Cyprii PAPHIAM VENEREM; Cretes sagittiferi DICTYNNAM DIANAM; Siculi trilingues STYGIAMPROSERPINAM; Eleusini vetustam DEAM CEREREM; IVNONEM alii; alii BELLONAM; alii HECATEN; RHAMNVSIAM alii.* Sed age, ipsum Apuleium in asino suo aureo, voci asininæ congrua, rudentem audiamus: *Tu sancta, clamat ille, & humani generis sospitatrix perpetua, dulcem matris adfectionem miseris tribuis. Te superi colunt, obseruant inferi: tu rotas orbem, luminas solem, regis mundum, calcas tartarum. Tibi respondent sidera, gaudent numina, seruiunt elementa, toto nutu spirant flamina, nutriuntur nubila, germinant semina, crescunt germina.* Ex quibus liquet, vniuersam rerum naturam ad lunam veteres omnino reuocasse. Nam cui conueniunt verba illa, *tu luminas solem?* annon illa potius a sole lumen suum accipit, quod ex lunari nuper eclipsi, studiosissime licet, ab incomparabili HEVELIO, tubo etiam optico indagata, ne vestigio quidem eius reperto, satis superque patet. Porro, cum agendi patiendique principia aduerterent in natura veteres, lunam, vt numen primarium, ex mente diuina & mundano corpore constare adferebant; & quo commodius *πολυθεΐα* suam introducere possent, vtrumque sexum attribuerunt. Nam, vt noui nascerentur Dii, Deorum, Dearumque sexus in cœlum prius transferendus fuit. Atque hanc ob rationem alii *Lunum Deum*, alii *Lunam Deam* dixere; non vero ex grammatica aliqua denominatione, vt recte contra Isaacum Casaubonum obseruat Iohannes Seldenus. 3) Facem, huic opinioni prætulisse videntur *ψευδώνυμα* illa Orphei, vel Onoma-

On
tiquEo
ea,

terr

prim

λήν

μείν

adpe

pletz

net g

dub

vete

qui

non

con

hila

etia

Ath

us,

fide

id est

GRI

grau

an al

Alba

tusto

49.
Onomacriti hymni, seu initia, ipso Mose, si DEO placet, anti-
tiquiora, his potissimum verbis:

Πάντων μὲν σὺ πατὴρ, μήτηρ, τροφὸς ἠδὲ τιθηνός.

Omnia es & pater, & mater, nutrix quoque & altrix.

Est, quod Ægyptii mundi matrem eam salutarent, quæ postea, quam a sole grauida esset facta, per Iunonem, siue aerem, terris & aquis, plantis & animalibus fœcunda, generationis principia largirentur. Sic enim Plutarchus 4) Μητέρα τὴν σελήνην τὸ κόσμον καλεῖσιν, καὶ φύσιν ἔχειν ἀρσινόθηλον οἰοῦνται πληρομένην γεννητικῆς ἀρχῆς, καὶ κατὰσπείρσασιν. Lunam mundi matrem adpellant, & naturam ex utroque mixtam sexu ei assignant; quod impleta & pregnans facta a sole, rursus de se in aerem mittat ac disseminet genitalia principia. Hinc & illud fluxit, quod non sine sexus dubitatione supplicare & dicere in precibus suis consueuerint, veteres: SIVE TV DEVS, SIVE TV DEA ES. quibus nil aliud voluisse videntur veteres, quam DEVM sexu non distingui, omnia & vbique ipsum esse, & in ipso omnia, contra quam postea visum fuit paganis, quibus nihil prius, nihil antiquius fuit, quam singula hæc ire confundere. ARAM etiam IGNOTI DEI, quam D. Paulus in actis Apostolorum Athenis se conspexisse testatur, hoc significare M. Z. Boxhornius, quem mox citabimus, ex sequenti inscriptione, nescio qua fide, euincere conatur:

ΘΕΟΙΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΡΩΠΗΣ

ΚΑΙ ΛΙΒΥΗΣ

ΘΕΩΙ ΑΓΝΩΣΤΩΙ

ΚΑΙ

ΞΕΝΩΙ.

id est; Diis Asia, & Europa, & Libya, DEO IGNOTO ET PEREGRINO. Quid per ignotum hoc numen, inquit ille, cuius occasione grauiter compellauit Athenienses Apostolus, denotauerint Græci; nescio, an aliquid voluerint, quam Romani, sequenti hac inscriptione, quæ in Alba Hungarorum Iulia, ad portam, quæ Millenbachium ducit, in vetusto lapide, hac serie, ad hucnum conspicua:

G

DEO

DEO. QVI. EST. MAXIMVS.
AVREL. SEPTIMVS.
ROMANVS.

Sed cum ipse Gentium Doctor hanc *IGNOTI DEI* Aram optime explicauerit, 5) merito cum B. Bosio 6) coniecturas has aspernamur. Nec enim adduci nos patimur, quin eos, qui inter gentiles sapientiores sunt habiti, reuera utriusque sexus fuisse numina sua, vnquam sibi persuaferint; sed aliud locutos, aliud in animo sensisse, prout despotica & tyrannica illa sinebant tempora, rectius crediderimus. Quod si vero quis roget, cur primi religionis nostræ Antistites hanc etiam gentilium recensuerint sententiam, & tam false exhibilauerint? illi dicendum, Patres Christianos non semper attendisse ad id, quod subintelligebant prudentiores, sed ex obuiis occasionem quæsiuisse paganos acriter perstringendi, vt CL. Boxhornii 7) qui pluribus hoc firmat, meam hic faciam sententiam. *Christiani enim veteres, inquit ille, ea subinde obtrudere voluerunt paganis, quæ tam facile negari poterant, quam in medium proferri. Sed ingeniosa est curiositas ingenii humani, & is sepe insistit, quæ nec vim, nec pondus habent.* Confer Barnabam Brissonium, 8) virum meliori facto dignissimum; & Gisbertum Cuperum, 9) in reconditæ eruditionis Comment. de consecratione Homeri, in Belgio superiori proxime anno edito.

- 0) *Macrob. Satur. lib. I. c. 17.* 5) *Actor. XVII, v. 22. seqq.*
 1) *P. Cluver. Germ. antiq. cap. XXVI. p. 218.* 6) *I. A. Bosius in dissert. de Ara ignoti DEI.*
 2) *Apul. metamorph. seu de asino aureo, lib. XI.* 7) *M. Z. Boxhorn. q. Rom. q. XIII.*
 3) *Selden. d. synt. II. c. 12.* 8) *Briffon. de formul. & solenn. S. P. Q. R. lib. I. p. m. 54.*
 4) *Plutarch. lib. Isid. & Osirid.* 9) *G. Cuper. d. l. p. 227.*

Φάσις VII.

Ex tali hypothesi talis quoque sacrificandi ritus ortus est, quem ex Philochoro Macrobius refert: 0) mares scilicet in veste muliebri, mulieres lorica aut toga virili indutas, lunæ sacræ fecisse:

51.

fecisse: quod mas eadem aestimaretur & femina; quod idem pluribus confirmat Alexander ab Alexandro. 1) De Carrenis, Mesopotamiæ populis, singulare plane est, quod magnificentum in honorem lunæ templum construxerint, in quo mariti supplicantes, si vxoribus dominarentur, in easque imperium exercerent, *LVNO DEO*: qui vero vxoris imperio se subigi scient, *LVNÆ DEÆ* sacra facere, a Sacerdotibus iussi sunt. De quo sane instituto si ex hodiernis iudicandum moribus, paucos, credo, effugisse, modo rigide res acta fuerit, quin supplicantium *LVNAM* magnam atque incredibilem adauxerint copiam. Huius farinae maritos Æ. Spartianus, in vita Antonii Bassiani Caracallæ, graphice descripsit: *sciendum, inquit, doctissimis quibusuis memoria traditum, atque ita nunc quoque a Carrenis præcipue haberi, ut, qui lunam femineo nomine ac sexu putauerit nuncupandam, is addictus mulieribus semper seruiat; at vero, qui marem Deum, is uxori dominetur, neque ullas patiatur muliebres insidias.*

o) *Macrob. d. lib. III. cap. 8.* 1) *Alex. dier. genial. lib. II, cap. 14.*

Φάσις VIII.

Hæc de ritu. consequens nunc foret, nonnulla de sacrificiis lune ex brutorum hominumque genere, eidem non sine ingenti quidem pompa, oblati, ex Herodoto, o) Pausania, 1) Lactantio, 2) Alexandro ab Alexandro, 3) Seldeno, 4) Iohanne Sauberto, 5) aliisque in medium proferre. Sed cum huc proprie non pertinere videantur, eo potius animi sensa intendemus, monstraturi videlicet, lunæ imaginem, variis quidem sub nominibus, longe ante Muhammedis natiuitatem, in pluribus orbis terrarum partibus, in honore deliciisque fuisse: atque adeo probabile admodum, eandem erroris quasi luem, quæ Saracenos, Turcarum commilitones, iam corripuerat, vel ipso Muhammede, ut gratior utrobique haberetur, hunc ritum τὰν ἀμφαῖν admittente & suadente, retinuisse.

o) *Herodot. in Euterpe.*

1) *Pausan. in Laconicis.*

2) *Lactant. lib. I, de falsa relig.*

3) *Alex. d. lib. III. cap. 12.*

4) *Seld. d. syntagm. II. c. 4.*

5) *I. Saubert. de sacrificiis, passim.*

Ac primum quidem in Asiam; vnde generis humani fa-
 lus exorta est, & quam cum primis Diabolus, DEI simia, su-
 perstitioe sua fœdare studuit, concedemus, Terram Sanctam,
 inque ea Phœniciam, quæ Syriæ prouincia est, lustraturi. hu-
 ius incolæ lunam sub nomine עשתרות, *Astaroth*, coluere,
 quod Phœnicum lingua *greges*, seu *oues*, sonat; 0) quam eti-
 am etymologiam Petrus Daniel Huetius, mox pluribus laudan-
 dus, μέγα illud μασῶν καύχημα, probare videtur: siue quod
 simulacrum ipsum in similitudinem ouis formatum; siue, quod
 oues & pecudes innumeræ, victimarum loco, teste Ouueno, 1)
 eidem immolatae fuerint. Cum vero huius opinionis Au-
 ctiores, testem e veteribus laudauerint nullum; & nouorum
 quorundam hominum innitatur coniecturis. calculum no-
 strum eidem adiicere merito detrectamus. Et sane, vsque
 adeo incerta sunt omnia; vt CL. Vossius adferere haut dubita-
 uerit, verisimilius sibi videri, Astarten hanc, vel totam piscis,
 vel partim hominis, partim piscis figuram habuisse. Huic quo-
 que sententia P. Kircherus subscribit, & piscium hinc religioni
 ansam dedisse statuit. sed incerta, ne dicam ficta omnia hæc esse
 pridem a claris viris euictum est. Aliis nominibus idolum hoc
 a Iudæis dicebatur מלכת השמים, *Regina cæli*, de cuius cultu
 DEVS per Ieremiam sæpissime conquestus est. itemque Astar-
 te, Dea Syria, Ουρανια, Cœlestis &c; non quasi Asiæ, vel aliæ
 gentes, Græca & Romana hac voce Ουρανιας, aut *Cœlestis* lunam
 vocauerint. quod absit! sed quia Græco vel Latio idiomate
 earum verbum commode sic explicari possit. Originem hu-
 ius vocis, vt obiter moneam, apud Hebræos quærendam esse
 Varro docet, 2) cui & Becmannus in manu ductione L.L. sub-
 scribit. Procopius Gazæus, 3) Αστροθ ἐκ τῆς ἀστὲρ καὶ οὐρανιά-
 σαντες, *Astaroth*, inquit, *ex sidere nomen dederunt*. Similiter & Sui-
 das, famosus ille lexicographus, Αστροθην, ait, δὲ τὸ τῆς ἀστὲρ ἐνο-
 νομίας, *ab astris adpellationem habere*. Quos tamen, tanquam
 linguarum orientalium imperitos, reiicit vir acri alias ingenio
 Petrus Daniel Huetius, 4) & Astarten nomen trahere ab
 עשתרות,

53.
אֶסְתָּרוֹת, Astaroth, quod *ἄμνλα*, greges sonat, dicit; ut
adeo hac voce Sephora, Mosis vxor, quam omnium Dearum
gentilium matrem ille facit, signetur: quandoquidem ex sa-
cris constat, 5) quod alendorum gregum curam illa habue-
rit, reique pecuariae dedita fuerit. At liceat a magno & harum
rerum peritissimo viro, citra notam iuuenilis temeritatis & arro-
gantiae, neque enim vnquam, quod nonnulli faciunt, viro, in
re literaria principi, vlllo modo insultare, animus est, modeste
dissentire, cuius *DEMONSTRATIONIS EVANGELICAE* libro, in
multis multa tribuo. non ita accipienda haec crediderim, quae
Suidas & Gazæus scripsere, quasi ex Græco solū idiomate ἀπλο-
ικῶς huius vocis deriuationē deducere conati fuerint; sed quod
in Hebræa aliisque orientalibus linguis, talem, aut non longe
diuersam sortiretur adpellationem. Sic vox *Zoroaster*, Persicæ li-
cet sit originis, tamen quoad alteram partem a Græcis retenta,
& per ἀστροθιστῆν, teste Laertio, expressa fuit. 6) Quod sane
an Huetius affecutus sit, nescio. Illud autem scio, mirari plu-
res, Abbatem illum Cadomensē, qua fronte linguarum igno-
rantiam aliis obiicere audeat, cum & ipse ex versionibus, in lau-
dato opere, quod aureolum I. Daniel Maior, Vratislauenf. vo-
cat, 7) sapere videatur. Sileo etiam, nimis quæsitum, ne
quid grauius dixerō, videri, ea, quæ de Diis Deabusque in vete-
rum leguntur libris, ad vnicum Mosen, eiusque vxorem Se-
phoram, referri. vel quasi, Mose nunquam inspecto, solo in-
genii ductu, hæc talia comminisci & tradere gentiles potue-
rint? quod ipsum confirmat Apostolus. 8) Quanquam non
plane abnuerim, nonnullos Græcorum Veteris Testamenti,
ac præcipue Mosis etiam, perlustrasse scripta: singula autem
sua inde hausisse, credat cui hoc est volūpe. An hypothe-
ses, definitiones eius, quibus plus æquo addictus viuit Hueti-
us, Euclidean illam ἀκρίβειαν, vt ἁόλιον definit. VII. habet,
vbiuis superent, iudicent optimi Euclidis Doctores. Nos in-
terea nouam Demonstrationis eius Euangelicæ editionem, al-
tera se parte auctiorem, quæ iam in officina paratur, proximis
Francofurtensium nundinis auide exspectamus. Hæc ὡς ἐν πα-
ρόδῳ. Videamus nunc quos potissimum cultores Dea hæc nacta
fuerit.

fuerit: & ecce occurrit nobis Regum ille sapientissimus Salomon, quem & ædem ædificasse, & ambulasse post Astaroth, Sidoniorum idolum, sacra testantur literæ. 9) Hanc quoque Astarten, seu Asteriam, Matrem Melchisedeci; Patrem vero Heraclam nonnullos credere, Epiphanius recenset. 10) Ratio eius rei hæc Vosfio esse videtur: Matrem scilicet Melchisedeco fuisse Lunam, siue terram; Patrem vero Solem. Nam horum omnes filii sumus, viri summates, infimates, medioximi. Vitalis enim calor nobis est a Sole cæloque: materies autem a terræ & aquæ globo; quamdiu hæc nobis Diuinum largitur Numen. Quod igitur omnium hominum est commune, hoc particulatim tribuerunt Melchisedeco; neutiquam id facturi, nisi Parentes eius nescirentur, inquit Autor ille 11) Nunc quibus documentis, Astarten eandem cum luna esse euincatur, porro dispiciendum est. Et evidens illico succurrit exemplum Antonii Bassiani Caracallæ, de quo Herodianus, 12) grauis scriptor narrat, eum, simulacrum *Vranie* Carthagini inferri, iussisse, his additis: *λίβυες μὲν ἔν αὐτὴν οὐρανίαν καλεῖσι. Φοίνικες δὲ Ἀστροάρχην ὀνομάζουσι, Ἑλήνην εἶναι θελοντες.* Quod Angelus Bassus, qui & a patria Politianus alias dicitur, Canonicus Florentinus, vel rectius Tiphernates, cui morienti versionem illam, cui similis in nullo fere hæctenus scriptore deprehenditur, subtraxisse Politianum, in literario negotio alias sæpe furti conuictum, Paulus Iouius testatur, 13) ita vertit: *Illam Africi Vraniam vocant, Phœnices Astroarchen, lunam esse affirmantes.* Alterum de Syrio hoc numine testimonium, est Syrorum doctissimi Samosatensis illius Luciani, 14) tali morte, a canibus enim laniatus traditur, 15) dignissimus, qui tantam in Christo rabiem exercuerit *ἐμπαικῆς* nequissimus, quando hunc in modum scribit: *Ἐστὶ δὲ καὶ ἄλλο ἱερόν ἐν Φοινίκῃ μέγα· τὸ Σιδωνίοι ἔχουσι· ὡς μὲν αὐτοὶ λέγουσι, Ἀσάρετης ἐστίν· Ἀσάρετην δ' ἐγὼ δοκέω σεληνάην εἶμεναι.* *Est autem & aliud templum in Phœnicia: quod Sidonii habent, atque, ut ipsi dicunt, est Astartes. Astarten autem ego puto lunam esse.* Prius e Syria quam pedem efferamus, scrupulum nobis iniicit illustris Baro Eduardus Herberth, de Cherbury, 16) negando, Astarten ad lunam referri posse: cum cognomen potius feminæ cuiusdam Syræ fuerit, quam Adonidi

di n
Tyr
tum
rad
fi fu
& in
de I
arun
Th
nur
mir
FR
chet

pot

di nupfisse, tradit Cicero: 17) *Quarta Venus, inquiens, Syria Tyroque concepta, que Astarte vocatur; quam Adonidi nupfisse, traditum est.* Verum, Adonidem non alium esse, quam Solem, qui radios suos diffundit in Lunam, seu Venerem, & maritam quasi suam coruscare facit, satis fuisse probatum dedit CL. Vossius; 18) & infra in *Φάσις XIII.* nobis etiam hac de re sermo erit. Plura de Lunæ cultu, sub nomine Astartes, ex physiologia & historiarum monumentis qui desiderat, adeat Iohannem Ouuenum, in Theologia Mosaica, 19) Gerhard. Ioh. Vossium; 20) Ioh. Seldenum, 21) Eduardum Herberth, 22) & quem primo loco iure nominare debuissim, venerandum Senem **IOHANNEM FRISCHMUTH**, Præceptorem nostrum, in dissert. *de Melochet cæli*; ac quos illi citant.

-) *Christ. Becmann.* in origin. *H. Bæcler.* in notis h. l.
- L. L. ad hanc vocem.
- 1) *Ioh. Ouuen.* theol. natur. lib. V. cap: 5.
- 2) *Varro* lib. IV. Lat. Ling.
- 3) *P. Gazaus* comment. in lib. I. Reg. cap. 16.
- 4) *P. D. Huet.* demonstr. euang. proposit. IV. cap. 10. §. 3.
- 5) *Exod.* II. v. 16.
- 6) *D. Laert.* in vitis philosoph.
- 7) *I. D. Maior,* Roma in numis Germaniz. part. I. pag. 30.
- 8) *Rom.* cap. I. v. 19. seqq.
- 9) *I. Reg.* XXI, v. 10. it. II. Reg. XXIII, v. 13.
- 10) *Epiphan.* hæresi XXXV. aliis LV.
- 11) *I. G. Voss.* I. G. lib. II. cap. 21.
- 12) *Herod.* lib. V. c. 5. & ad hunc
- P. Iouius* elogio Tiphernat. citante *Vossio*, hist. Lat. n. 628. conf. &
- A. Politian.* epist. lib. XI. ep. 5.
- 14) *Lucian.* de Dea Syria.
- 15) *Suidas* in hac voce.
- 16) *Ed. Herbertb.* relig. gentil. cap. VI. p. 33. edit. Amsterd. 1663. in 4to.
- 17) *Cicero*, lib. III. de N. D.
- 18) *G. Vossius*, de O. & P. Idololat. lib. II. cap. 4. p. m. 106. seqq.
- 19) *I. Ouuen.* d. l. p. 374.
- 20) *I. G. Voss.* d. lib. II. cap. 21.
- 21) *I. Seld.* de Diis Syris Syntag. II cap. 2. & in eum *And. Bæcler* in additament.
- 22) *Ed. Herbertb.* d. l. p. 31. eqq.

Φάσις X.

Sed minime intra Asiaticos fines Astartes honorata coërceri potuit, quin ad Europæos non dimanaret. Sane, numi, aræ, inferi

Salo-
n, Si-
que,
vero
Ratio
deco
rum
Vi-
a ter-
Nu-
hoc
Eturi,
qui-
atur,
exem-
gra-
ferri,
óvines
gelus
nicus
nem,
endi-
e fur-
Afri
Al-
Etissi-
bus e-
hristo
n mo-
ιδώνιοι
ω σελη-
Sidonii
go puto
lum,
Cher-
cum,
Adoni-
di



inscriptiones, ut de aliis documentis taceam, de eius cultu vix ac ne vix quidem nos dubitare sinunt. Romæ vetus exstare monumentum refert E. Schedius, 1) cui hæc adhæret inscriptio:

I N V I C T A E
C O E L E S T I S
A V R. O N E S I
M V S. S A C.

Quid vero Cœlestis, nisi Vrania? quid Vrania, nisi Regina cœli, Astarte, Luna? Et aliud in horto Mattheiorum trans-Tiberino, ad pontem Cestium, eiusdem vrbs, reperiri saxum, Seldenus 1) annotat, ubi inter duos leones Dea quædam sedet, lunato ornata diademate, cui hæc subiuncta est inscriptio:

P. A C I L I V S F E L I X
D. D. D E A E S V R I A E
C V M S V I S.

Comptiores hic Actum intellexisse Deas, quas inter tamen Suria illa, Astarte scilicet, principem tenuerit locum, non est, cur dubitemus. Plura huius generis antiquitatis vestigia, præ manu quæ sunt, cultum Lunæ, in varis Europæ partibus satis frequentem, probantia, lubens prætereo. Adeat, qui harum rerum studiosus est, vasta illa *IRVTERIANARVM, REINESIANARVM*, quodque in mortale speratur opus ab illustri *MARQUARDO GVDIO* edendarum; cum primis vero *ARVNDELLIANARVM* in ipsa etiam Britannia liquido rem docentia, inscriptionum volumina; nec non Fullerum, 2) Petrum Fabrum, 3) Seldenum, 4) Ioh. Gerh. Vossium 5) & E. Schedium. 6) Acque hæc, de Syro hoc numine, breuitatis ergo, sufficiant.

1) E. Sched. d. cap. IX. pag. 120.

3) P. Faber semest. lib. III. cap. 1.

1) Selden. d. l. syntagm. II. cap. 2.

4) I. Seld. d. l. (seq.)

p. 257.

5) I. G. Vossius d. l. lib. II. cap. 21.

2) Euler. miscell. lib. I. cap. 13.

6) E. Sched. d. l.

Φάσις XI.

Nunc ex Palæstina ad mediterranei maris littora, age in
Ægyptum,

Ægyptum, nos traiciamus, ubi non minus sub *Isidis* quam *Apis*, aut *Mnevis* nomine, incolis Lunam in deliciis fuisse, spectabimus. Dicitur autem *Isidem* ab ἸϞϞ *virgo, femina*; forte quod illi ex tenui fama ab accolis Israelitis inaudiuerint: virginem fore θεοτόκον , ut coniecit Caspar Peucerus: 1) quemadmodum & *Osi-ridem*, *Isidis* maritum, ex Ebræo ἸϞϞ & ἸϞ *beatus vir*, denominari, Becmannus censet. 2) Diodorus in primo Bibliothecæ suæ, $\text{Ἰσιν μετρημένην δομῶν εἶναι παλαιάν}$. *Isidem si transferas ex lingua Ægyptia, signare antiquam*. Cuius rei mox rationem $\text{ἀπὸ τῆς αἰδῆς καὶ παλαιᾶς γενέσεως}$. *ab aeterna & antiqua generatione subdendo, reddit*. Plutarcho 2) *Isis* est ab ἴσας , *sciens*; sicut & *Osiris* ab ὄσια , quod idem ac ἰὸ ὄν sonat, & ipsius diuini Numinis epitheton est. Rem ipsam si attendas, *Isis* quidem femina, qualis plerumque vulgo depingitur, in rerum natura nunquam exstitit, sed mystice Lunam significabat, ac ideo diuino honore excipiebatur. Quæ vero ἀπὸ γενέσεως huius ratio; & cur variis animalium figuris, Theologiæ suæ dogmata expresserint Ægyptii, hoc omnino, datis enim destituimur, indagatu difficile, & tantum non ἀδύνατον . Quod si vero mihi quis obiciat, pridem hæc singula, magna ingenii felicitate, ab Athanasio Kirchero deducta & explicata esse: illi non grauabor iudicium insignis Anglorum polyhistoris, Iohannis Ouucii, 3) de Kircherianis his coniecturis adponere: *Atque ut libere dicam, inquit ille, horrenda plane sunt, & scandali plena, quæ in Obeliscorum & Hieroglyphicorum expositione, de Numine triformi aliisque blaterat Kircherus. plane ubi legi, hominis misertus sum; neque enim mortali-um quispiam operam & studium inutiliter magis locare unquam potuit. Et paulo ante idem Auctor de iisdem commentariis ait: nescio, an virum illum doctum, an eius otium, an ingenium magis mirari debeam. nil nisi crudas coniecturas, plerumque ineptas, fabulis prodigiosissimis interpolatas, congeffisse in locis spissi operis videtur. imo putidissima sunt hominum indoctorum figmenta, quorum nemo ex veteribus, ne nugator quidem, meminit. Quid, quod ipse Athanasius, horrendam illam blasphemiam Mercurii Trismegisti, qua D E V M ob filii sui generationem ἀρσενοθύλην vocat, mire deperit, & Rhapsodi illius scripta, Mose antiquiora proclamare non dubitat. Sed*

H

excu-

excusandus forte ex parte diligentissimus videtur Kircherus, quod plura sub eius nomine lucem adspexerint publicam, a se nec visa, nec lecta; ceu eiusdem Societatis Sacerdos, qui bene diu Romæ cum eodem degerat, me nuper edocuit. Sed redeundum ad Isidem, quam, missis Historicorum testimoniis, rationibus quibusdam physiologicis, Lunam indicasse, probatum nunc dabimus. Fingebatur utriusque sexus, hoc est, omnia esse, omniaque continere, quæ inferioribus largiretur; vim procreatricem rebus omnibus indere, terrasque fecundare; atque hinc *Matrem terræ* μῆθ, teste Plutarcho, 4) passim vocabant. a qua radice Græcum illud μήτηρ, & Germanicum Mutter / sola terminatione posteriori adiecta, ortum esse, scite non nemo colligit: quæ singula Lunæ conuenire, ex iis, quæ paulo ante memorauimus, vltro innotescit. Porro tradunt; Inachi fluvii filiam fuisse: haut dubie, quod Luna nauigantibus, aut terra procul existentibus, quasi ex vndis oriri videatur. non ob radiorum refractionem, vt P. Ricciolus existimat; sed a tractu horizontis longiori, ad aeris altitudinem comparato, vt ipsa experientia rem liquido confirmet. Eandem Iouem, seu solem, compressisse, & in vaccam transmutasse, trlicantur: siquidem planeta hic, synodo, siue coitu, vt Plinius loquitur, cum sole celebrato, vaccæ cornua præ se ferre putatur. Quæ etiam causa, vt simulacrum Isidis cornutum præsentarent, bouemque eidem sacrarent, quem ideo immolare nefas fuit, vt est apud Herodotum: 5) τὰς Θηλέας τῶν βοῶν ἐν Αἰγυπτοῖσι ἔξοσι θύειν, ἀλλὰ ἱερὰ εἰσι τῆς Ἰσιδος. τὸ γὰρ τῆς Ἰσιδος ἀγάλμα ἐὼν γυναικῆιον, βέβηκων ἐστὶ, καθάπερ Ἕλληνας τὴν Ἰδὴν γράφουσι. *Feminas immolare boves non licet Ægyptiis: vt pote Isidi consecratas. Nam Isidis simulacrum muliebri est, bubulis præditum cornibus, quemadmodum Io a Græcis depingitur.* Insuper statuebant, Io seu Isidem vaccam, sub tutela Argus illius centoculi aliquandiu fuisse; at hoc occiso, per mare Ionicum, Bosphorum Thracicum, Iopen ciuitatem, a se ita dicta loca, & innumeras terrarum partes, oberrasse tantisper, donec in Ægypto pristinam recuperaret formam. An hoc aliud, quam cælum, cui plurimæ, tanquam oculi, insunt stellæ, quarum dimidia semper pars supra horizontem vigilans quasi

CON-

conspicitur? Luna interea a sole dum recedit, magis magisque illuminatur, & quicquid illarum est luminis facile obscurat, motuque suo proprio, ab ecliptica ad septentrionem modo, modo ad austrum, per IX. & amplius gradus, declinando, maria fere omnia, cum plerisque telluris prouinciis, intra XXVII. & quod excurrit, dierum spatium, velocissime collustrat. Præterea nauigio vehi, teste Plutarcho, fingebatur Isis: non alia, sane ex ratione, quam quod luna corniculata, nauigii fere formam exhibere videatur: aut potius quod humidæ naturæ esse, inque aquas potestatem habere credebatur. Quid de multicoloribus tæniis, siue fasciis, statuum Isidis vndique vestientibus, dicam? nonne varias lunæ *Φάσγ* & adspectus significant? Quid cum eodem Plutarcho, *δ*) de nigra palla, quam eidem tribuit? maculas certe & partes vmbrosas, ob montes & valles ex aduerso Sole in ea conspicuas, notasse videntur. Tandem, nec illud consideratione indignum, Isidem in XIV. partes discerptam perhiberi: quorsum hoc, in tanta harmonia, nisi vt lunam *πενσέληνον*, per totidem dies decrescenrem, discerpi velut in partes ac mutilari, putemus? Huius itaque Isidis, seu Lunæ cultum, Romanos etiam frequentasse, adposita in Isidem epitaphia, seu dedicationes, quas nobis ex *I. Græsseri* antiquitatibus Nemausensibus, eiusdem Poematibus subnexis, omnis antiquitatis Promuscondus *GEORGIVS SCHVBARTVS*, Præceptor noster, quod grato hic referimus animo, exhibuit, satis loquuntur; hæc Nemausi, in celebri Italiæ vrbe, hac serie leguntur p. m. 205. seq.

ISIS
SERAPIS. VESTAE. DIANA E. SOMNI
HS. N. VI. PHIALAS. II.
CHRYSEN - - - CLI - - - GNA
DEORVM. ARGENTEA. CASTRENSIA
DOMO. HABEAT. ITEM. - - -
DEDICATIONE. TEMPLI. ISIS. ET SE-
RAPIS. DEO. - - -
- - - ONIBVS. NEMAUSENSIVM. ET
ORNAMENTA - - - R - - - SINGVLIS
* V. ITA. VT. IN. PVBLICO. VESCE-

H 2

REN.

RENTVR. DISTRIBUTI. IVSSIT. IN. QVE
 EIVS. DOMVS
 - - - TELAM. H. S. N. X. RELIQUIT.
 ITEM IMAGINEM. MARTIS. AR
 GENTEAM. EX
 AMNAGENSIBVS. DEDIT
 C. ORDO. - - BITVR.

Visendus ibid. & alius insignis lapis, cum hac inscript:

L V N A E. E T. I S I D I.
 A V G. S A C R.
 C. O C T A V I I.
 P E R O N I S. L I B.
 T R O P H I M I O. S E V E R I.
 A V G. V. S.


Præter Ægyptios & Romanos, Germani quoque Isidis sacra
 administrauerunt: quod illa frumenta ferere, indeq; panes confi-
 cere eos docuerit. Sic Auentinus 7) hoc in Bauaria repertum
 adducit monumentum:

I S I D I
 M Y R I O N Y M A E
 S A C R V M
 F E S I N V S. T. I V L I
 S V T V R N I N I. G. P. P.
 S E R R A R I. P O S V I T.
 F O R T V N A T V S
 E I V S D E M S E R. T S.
 F A C I V N D V M
 C V R A V I T.

Confirmat id Tacitus: 8) *Pars Sueuorum, aiens, Isidi sacrificat. Un-
 de causa & origo peregrino sacro, parum comperi; nisi quod signum
 ipsum, in modum Liburnæ figuratum, docet aduectam religionem. In
 ipso Belgio miles Romanus Isidi hoc erexisse dicitur testimoni-
 um: 9)*

I S I D I. S A C R V M.
 S E X. P O M P E I V S. S E X. L. S Y R V S
 M I L. L E G. V. A V G. V S. L. M.

Forte

Forte ab hac Ifide, in nostra quoque Thuringia I S E N A-
C V M, sedes SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMI-
NI NOSTRI, DOMINI IOHANNIS GEORGII, DV-
CIS SAXONIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ AC MONTIVM
&c. nomen suum obtinuit; vt & EISENBERGA in vicinio;
nec non ISLEBIA, Eisleben, theandri LVTHERI, in comita-
tu Mansfeldiæ, patria; & herba, quæ nomine Eisenkraut vulgo
inscribitur. LVNEBURGVN etiam, inferioris Saxoniam op-
pidum, lunæ dedicatum, & in honorem lunæ columnam in eo
erectam fuisse, testantur auctores, 10) quos inter Andreas
Althamerus: *Plutarchus*, inquiens, *Isidem apud Sueuos cultam
fuisse, scribit, hoc est, Luneburgum, ciuitas admodum insignis, & hu-
manitatis studiosa, vbi idolum Isidis, id est, lunæ, etiamnum in arce ex-
celsa supra montem calcarium conspicitur, videlicet est cornutum, qualis
lunæ solet fere tridua esse effigies, hanc deauratam, & hodie senatores
Luneburgenses petentibus commonstrant. Quæ tamen cum fabulosa
esse, peculiari dissertatione de origine & incrementis inclytæ
ciuitatis Luneburgensis, biennio abhinc, demonstraerit Vir
summus CASPAR SAGITTARIUS, D. non est, vt
exactius hæc referamus. Plura de Ifide, quatenus illa luna, qui
desiderat testimonia, adeat præter magni Belgarum Vossii the-
saurum illum multiugæ eruditionis *Gentilis Theologia*, in secun-
do nonoquoque libro; insigne Gisberti Cuperi *ἱστορικὸς* Home-
ri opus, p. 179. seq. itemque Iacobi Gafarelli *Curiositates inaudi-
tas*, & quæ in hæc commentatus est CL. Michaelis; *Museum in-
super Wormianum* libro IV. vt & eruditam Adami Tribbecho-
uii dissertationem *Mosis*  *Aegyptiorum Osiris* inscriptam,
Kilonii Anno M DC LXXI. editam.*

0) *Peucer. de diuinat. extispic.*
p. m. 210.

1) *C. Becmann origin. Lat. Ling.*
ad hanc vocem.

2) *Plutarch. lib. de Isid. & Osirid.*

3) *I. Ouuen. d. l. lib. IV. cap. 3.*

4) *Plutarch. d. l.*

5) *Herodot. in Euterpe.*

6) *Plutarch. d. l.*

7) *Auentin. annal. Boior. lib. II.*

8) *Tacit. de moribus German.*

9) *E. Sched. de Diis Germanis
Syntagma I. cap. 9.*

10) *Altham. comment. ad Ta-*

cit. German. cap. X.

H 3

Φάσις

Φάσις XII.

Ex Africa liceat mihi ad alias quoque gentes, quibus itidem, longe ante natiuitatem Muhammedis, luna summæ venerationi fuit, paululum digredi, ad Arabes mox & Saracenos reuersuro. Sic ergo soluta nauis ad Græcos adpellimus; a quibus iuxta ac a Romanis hæc superstitione in ceteras dimanauit, gentes. Lacedæmonii ergo, præcipui Græciæ populi, quicquid modo rerum essent auspicaturi, superstitione lunam obseruasse, vel ex responso Agamemnonis apud Euripidem *o*) elucescit, qui, tum nupturam filiam suam, aiebat, vbi lunæ dexter circulus aduenerit. videlicet de plena luna id intelligens. Olympica etiam ludicra, non nisi plena lunæ lampade celebrasse, Pindarus nos docet. Laconibus, ante plenilunium, aut nouilunium, aliquid incipere religio erat. vnde natum est prouerbum: *λακωνικὴ σελήνη*. Contraria plane ratione Arcades, ante nouilunium, aut plenilunium, bella, & alia seueriora semper adgressos, atque hanc ob rem a vicinis nationibus *πρὸς σελήνας* nominatos fuisse, legimus. quæ tamen conuitii causa, ab Arcadibus callida interpretatione elusa est, quum probrum hoc, in laudem conuersum, ad vetustatem originis suæ referebant, ipsa luna antiquiorem se esse gentem, gloriantes. De Lycurgo, Lucianus *i*) testatur, eundem legem instituisse Lacedæmonii, ne prælium inirent ante plenilunium, cuius rei Pausanias in Atticis hanc reddit rationem: *Athenienses*, inquit, *nuncium ad Lacedæmonios de Persarum in Atticam irruptione Philippi dem misisse; hunc, cum rediisset, retulisse, Lacedæmonios minus mature copias educere, quod religione impedirentur cum exercitu exire ante, quam luna orbem impleisset.* Eandem quoq; & Orpheus ita inuocat:

κλῦθι θεὰ βασιλεία, φασφόρος, δία σελήνη,

ταυρόκερως μήνη, νυκτίδρομος, ἠεροφῶιτι.

Audi Dea Regina, luminis auctor, diuina luna,

Cornuta luna, noctu incedens, alte currens.

Variis autem sub nominibus, sibimet notioribus, Græci lunam adpellauere & venerati sunt. Alii namque *Dianam* dixere *luciferam*, quod tempore nocturno lucis suæ radios, non secus ac venato-

venatores sua tela, per montes ac silvas eiaculetur; atque hinc venationi præesse voluerunt. Quod viam iter facientibus noctu collustret; ob id Dea viarum salutabatur: Hanc Q. Horatius Flaccus 2) *τρίμορφον*, seu triformem vocat, a triplici scilicet facie corniculata, qua in cælo comparet, & his verbis eandem compellat:

Montium custos, nemorumque virgo,

Qua laborantes vtero puellas

ter vocata audis, adimisque leto,

Diua triformis.

Quamquam alii, Deam hanc, triforme nomen, a triplici persona fortitam, existiment; quod in cælis sit *Luna*, in terris *Diana*, apud inferos *Proserpina*. Verior tamen prior videtur ratio, quæ triplici a facie, nempe corniculata, dimidiata & plena, originem repetit. Alii *Lucinam*, itemque *Lochiam*, quasi partus arbitram, nec non *Latonam*; cum lunam humidum & femineum fecerint fidus. 3) Quare & a parturientibus, vt auctor est Macrobius, 4) inuocabatur, quod proprium eius munus esset, distendere rimas corporis, & meatibus viam dare, quod accelerando partui salutare. Hoc idem Poëta Timotheus eleganter expressit:

Ἀγ' λαμπρὸν πῶλον ἄστρον, Ἀγ' τ' ὠκυπέκοιο Σελάνας,

Per lucidum polum astrorum, perque lunam, quæ partum accelerat. Atque huc etiam respexisse crediderim C. V. Catullum, quum eandem in carmine seculari ita salutat:

Tu, Lucina, dolentibus

Iuno dicta puerperis:

Tu potens Trivia, & notho es

dicta lumine luna.

Dianæ templum, in quo ædificando ducenti & viginti anni infumti erant, in Epheso, Lydiæ vrbis, magnifice constructum, cernebatur. Columnæ eius erant CXXVII. quæ omnes altitudinem LX. pedum obtinebant; quod propterea conflagraisse scribit Cicero, 5) quod in illa nocte Olympiadi, quæ Alexandrum M. parturiebat, opem tum tulisse ferebatur. Græcis alias Dea hæc *Ἀρτέμις*, ut est in actis Apostolicis: 6) *μεγάλη*

γάλη

γάλη ἡ Ἀρτεμις Ἐφεσίων, magna Dea Ephesia; quasi ἀερόποις, quod aërem fecet, teste Macrobio, 7) dicebatur. Eadem fertilitati terræ imperare, & vberius quasi suis, tanquam alma Mater, cuncta animantia nutrire, fingebatur: qua de causa tum Ephesi, tum in numismatibus antiquorum, vt in laudato Gisberti Cuperi opere videre est, *DIANA POLYMAMMIA*, perinde ac *CERES*, depicta conspicienda est. Non alia certe ratione, quam quod lunam influxu suo cuncta viuientia nutrire, sustentare, ac fertilitate donare, statuerint. Taceo alia nomina & epitheta Dianæ. nam, non solum βεῖτομαρτις, *dulcis virgo*, teste Hesychio, itemque Ἀφάρα, *fugitiua*, & Δίκτινα, *reticularia*, vt Palæphatus refert; sed & Εὐλακία, quod *amantioni præesset*, nec non Εὐκλία, seu Αἰκλία, quod *optimas largiretur epulas*, vt & Εὐπορία, ab *affluentia*, & Παμπανῶ, quod *amnes pascat*, atque sexcentis aliis a Græcis salutata est nominibus, notante Isaaco Vossio, viro in hoc studio apprime versato, in obseruationibus ad C. V. Catullum, Londini nuper editis, pag. 84.

- | | |
|-----------------------------------|----------------------------------|
| 0) Eurip. in Iphigen. in Aulid. | 4) Macrob. d. lib. VII. cap. 16. |
| 1) Lucian. in libro de astrolat. | 5) Cicer. de N. D. lib. II. |
| 2) Hom. lib. III. Od. 22. | 6) Aëtior. cap. XIX. v. 28. 34. |
| 3) Plin. H. N. lib. II. cap. 101. | 7) Macrob. d. lib. locoque. |

Φάσις XIII.

Nonnullis idem hoc numen Ἐκάτη; sicut & Apollo Ἐκάθε, itemque *Hecate lucifera*, nec non Νυκτίδερμ, *Ennychia*, *Nυχία*, *Dea noctium*, *noctiumque Sidus* dicebatur. De eo ita Euripides: 0)

Ω Φωσφόρ' Ἐκάτη, πέμπε Φάσμα' Ἐμνή.
Lucifera Hecate, mitte phasmata benigna.

Hecaten autem connubia primum instituisse, rebusque hinc amatoriiis præesse, docet Theocritus. 1) Inde eam venefica, vt amorem Daphnidi narret, sic inuocat:

Φράζεο μεν τὸν ἔρωθ', ὅθεν ἵκετο, πότνα Σελάνα.

Dic amorem meum, unde venerit, veneranda Luna.

Venus etiam, vt & Εἰλείθυια. siue ἀπὸ τῆς ἐλθεῖν a veniendo, qua ratione amica venire dicitur ad amatorem, τῆς συμμίξεως χάριν,

χάρις, siue ab Hebræo חַיִּים, i. e. *proles, partus*; vel etiam, vt Cl. Seldeno 2) placet, a Lamia illa Iudæorum לַיִלָּה, quæ recens natos infestare dicitur, qua de mira & incondita quæuis ex Rabbinis, Buxtorfius 3) recenset, quæ tamen, cum fabulosa esse, doceat Præceptor noster, Iohannes Adamus Schertzerus, 4) nunc in cælis triumphans, nil attinet ea hic recensere. Vnicum Plutarchi 5) testimonium subiungere non grauabor; qui, postquam multa de lunæ viribus circa generationis opus, disseruisset; *ὄθεν ὀνομαζομένην, δὲ τὴν Ἀρτέμιον, καὶ Εἰλεΐθυσσαν ἢ Ἰσταν ἢ τὴν Σελήνην ὀνομαζομένην.* Vnde censeo, Dianam, & Ilithyiam, vt quæ non alia sit a luna, esse nominatam.

0) Eurip. in Helena.

3) Buxt. Synagog. Iudaica, c. XIV.

1) Theocrit. in Pharmaceutr.

4) Schertz. trifol. orient. p. 94.

2) Selden. d. syntagm. II. cap. 2.

5) Plutarch. lib. III. Sympos. quæst. I.

Διχότομος.

Eandem Dianam, seu Lunam, ante Muhammedis æuum, a Romanis non solum pro Dea fuisse habitam, sed eius etiam imaginem corniculatam singulari passim ornamento fuisse, tum probatissimorum historicorum fide; tum veterum monumentorum, lapidumque fide docemur. Cum primis vero Poëtæ frequenter ad hæc alludere, & in exponendo hoc summæ Romanorum nobilitatis insigni, multum studii, operæque posuerunt, qui ingenio & doctrina præ ceteris, suo quisque seculo, vt in fine huius Φάσεως videre est, floruerunt. 0) Ita Plautus, lunulas ad ornamenta digitorum, in quibus forsitan gemma lunæ instar rotunda emicuit, sequenti versu refert:

Lunulam atque anellum aureolum in digitum.

Et Statius equum Parthenopæi describens ait;

— nemorisque nota sub pectore primo,

Iactantur niueo lunata monilia dente.

Huiusmodi lunulis ex orichalco, auro sæpe, & argento, Turcæ aliasque gentes, equorum capita exornare, toto die videmus. Sic Boxhornius 1) testatur, lunæ nouæ simulacrum cum inscriptione: *ÆTERNITAS. & PERPETVITATI AVG.* in numis aliquot Faustinae & Seueri Alexandri Augusti conspici-

endum exstare. Idem, Romæ in grandi ara eandem hoc ornari e-
logio, docet:

SOLI INVICTO. ET. LVNAE.
AETERNAE.

C. METRI. GERMANI. LIB. DVO.
PARATVS. ET. HERMES. DEDERVNT.

Et alibi:

LVNAE. AETERNAE. SACR.
PRO. SALVTE.

IMP. CAES. L. SEPTIM. SEV. &c.

Veronæ in Italia, hanc inscriptionem legi, Ferretius in *Musis La-
pidariis* docet:

SEX IVVENT. SVAVIS.

DIANA. E. LVCIFERAE. LVNAE.

Princeps Poëtarum Virgilius 2) lunæ honorem hisce cele-
brat versibus:

Suspiciens altam lunam sic voce precatur:

Tu DE A, tu presens nostro succurre labori,

Astrorum decus, & nemorum Latonia custos.

Ab exortu huius quoque luminis Romanos, perinde ac hodie-
num Turcæ faciunt, initium supputasse mensium, aperte fate-
tur Macrobius: 3) *Cum enim, inquit, mensium initia maiores
nostri ab exortu lunæ seruauerint, Iunoni iure calendas addixerunt: Lu-
nam & Iunonem eandem putantes, vel quia luna per aërem meat, unde
& Græci lunam ἀέτρου, quasi ἀέτρον, nuncupauerunt, quod aëra
secat, Iuno autem aëris arbitra est, merito initia mensium, i. e. calen-
das, huic Deæ consecrarunt. Sic in eadem republica Romana Patri-
tios, insignium loco, lunæ imaginem ut ab aliis distinguerentur,
in mulleis, quod calceorum genus est, a mulando, i. e. suendo,
ut arridet Festo, 4) ita dictis, gestasse, docet Iuuenalis: 5)*

Felix, & sapiens, & nobilis, & generosus

adpositam nigrae lunam subtextit alutæ.

Ad hæc verba veterem scholiasten, a Pythæo editum, ita com-
mentatum fuisse, idem Batauorum decus testatur: 6) *Patri-
tius Senator est. Lunula nam adsuta calceis, discernuntur. Notabili-*

ter

ter vero dicit poeta *subtexisse*, vt adeo verifimile non fit, depictam in calceis fuisse lunæ effigiem; siue illa e purpura, siue ære, aut alia fuerit materia, nihil certi habeo dicere. De fibula, vulgo eburnea, lunæ instar corniculantis, scriptores interpretantur; cuius figuram sæpe citatus exhibet Boxhornius. Quis nescit, Romanos in eo, vna cum Hungaris & Polonis, Turcas hodie quoque imitari, & commune fere calceamenti genus inter se vti; quod omnes adpellant Turcica lingua *Czizme*. Calcei isti ex nigra, rubra & lutea præparantur aluta; pedem & crus vniuersum ambiunt; ita tamen, vt superior illa pars, quæ genu vestit, lunam referat corniculatam; ac inferior itidem ferrea, lunula, eaque vncinata, sub calcis solea, munita cernatur, qua in via, saxis strata, nescio quid generosi, ingenti strepitu, ad aures peregrini adpellere se, credunt. Idem populi, in vtraq; tunicæ honorationis, seu chlamydis, manica, quæ ab humeris post tergum deorsum pendet, mediam inferunt lunam. An id etiam a Romanis didicerint, non simpliciter aſſim adfirmare; sed de re Vestiaria Hungarorum, in qua nihil deficit, nilque abundat, DEO dante, in *Notitia Comitatus Scypusiensis, superioris Hungariæ amplissimi, tripartita* scilicet: *Naturali, Mathematica, & Ciuili* plura aliquando dicturi sumus. In bellis expeditionibus, apud eosdem Romanos, insigne fuisse fortitudinis præmium, si lunam argenteam, vexillo intextam, ducere cuius contigerit, adposita ex vetusto quodam lapide, Albæ Hungarorum Iuliæ, in aula Antistitis, adhuc num illic conspicua, minime supposititia inscriptio, liquido probat, quæ hac serie legitur:

G. I V L. C. F. T H E V E S T.
 C O R I N T H I A N O P R Æ.
 C O H. V I I. G A L L. T R I B V N.
 C O H. I. B R I T T. I T E M. V E X I L L.
 D A C O R. P A R T H I C. C V I.
 O B V I R T V T E M S V A M
 S A C R A T I S S I M I I M P. C O R O -
 N A M. M V R A L E M H A S T A M
 P V R A M E T V E X. L V N A R G E N T.
 I 2
 I N S I G N E

INSIGNE DEDERVNT.
PRÆF. ALÆ CAMPÆ. Q
IDEM VIXIT ANNIS
XXXIX.

MARCIVS ARRIANVS
ET IVLI CLINIAS ET
PISONIANVS HE-
REDES F. C.

Plura sine dubio huiusmodi testimoniorum e terra Patria petitorum laudare liceret, ni PANNONIAE INSCRIPTIONES, quas Martinus Opitius, Germanorum ille Virgilius, sedulo in his partibus collegerat, MSS. magno Hungariae rubore, in privatis adhuc, proh dolor! situ squalerent scriniis. Germanis olim, vt hoc solum addam, nec fas erat, nec consuetudo, ante lunam novam, decrecente lumine fideris, praelio contendere; hanc autem superstitionem sanguine suo expiabant. De hac enim Iulius Cæsar: 7) *Apud Germanos, ita ait, consuetudo erat, vt matres familias eorum sortibus & vaticinationibus declararent, utrum praelium ex usu esset, nec ne. Eas itaque dicere, non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam praelio contendissent. Itaque Cæsar ex transfugis hoc cognoscens, praelio lacesiuit, & tanta religione impeditos, aggressus fudit. Confule & Plutarchum in Cæfare.*

o) Cælius Rodigin. antiquar. lection. lib. XX. cap. 26.

Alexand. ab Alex. dier. genial. lib. V. cap. 18. & in hunc And. Tiraquell.

Iob. Pieri. Valerian. hieroglyph. lib. IV. cap. 23.

Thom. Dempsterus ad Rosin. antiq. p. m. 440.

Claud. Salmas. in dedicat. Statuæ Regillæ.

Benedict. Balduin. de calceis antiq. cap. IX.

Albert. Ruben. de re vestiar. lib. II. cap. 4.

Octav. Ferrar. in analect. cap. XXXV.

1) M. Z. Boxhorn. animaduers. in quæst. Rom. Plutarchi, p. 133.

2) Virgil. Æneid. IX. v. 406.

3) Macrob. Saturn. lib. I. cap. 15.

4) H. Salmuth. in notis ad Pancirolli memorab. rerum, deperdit. rubr. de fibula.

5) Iuuenalis Sat. VII.

6) M. Z. Boxhorn. d. l. p. 126.

7) I. Cæsar. B. G. lib. I. conf.

Polynæus, stratag. lib. VIII. it.

Frontin. lib. II. cap. I.

odone

H
liminic
do im
tionum
Arabes
raniam
cabant.
signific
am, nec
erudite
rum Al
ratur.
am, vt
doctior
me diu
mune e
orgius
do, dif
Αλλὰ ἐ
τὴν ἢ Σ
OVA,
tamen,
Meursi
more H
ut fenf
Hunct
tratur,
TOBI
Belgis,
scriptis
perstiti
TVS, 3) q
laudass
quod 7

Hæc Græcos potissimum inter & Romanos. Nunc post-
 liminio quasi ad Arabes & Saracenos, Turcarum in adipiscen-
 do imperio socios, redeundum; hos iam olim hac supersti-
 tionum labe pollutos fuisse, ex Herodoti Thalia discimus. Hi
 Arabes, duos solum coluere Deos, Dionysium siue Solem, & V-
 raniam siue Lunam; quorum illum *ουρηλάτ*, hanc *αλιλάτ* vo-
 cabant. *Alilat* autem Arabum lingua lunam, seu noctilucam
 significare, & ex hoc Latinorum, *Lucinam*, Græcorum *Ilitbyi-*
am, nec non Iudæorum *Lilith*, pluraque alia manasse fonte,
 erudite, vt omnia alia, CL. Seldenus 0) demonstrat. Cete-
 rum *Alilat*, seu *Alitta*, in Alcorano vna e DEI filiabus esse, nar-
 ratur. an quod *ΑΛΛΑ ΔΕΥΜ*, *αλιλάτ* autem femininum De-
 am, vt obseruat Huetius, 1) denotare videatur? dispiciant,
 doctiores. Saracenorum *Cabar* Dea, & Arabum *Alilat*, mini-
 me diuersa credenda, sed quibus natura soli communis, com-
 mune etiam numen colere adfectasse, omnino verisimile. Ge-
 orgius Cedrenus, 2) hanc Saracenorum precationem recensendo,
 diserte id confirmat: *Αλλά, Αλλά, εὐὰ κερβάρ, Αλλά: ac Αλλά,*
Αλλά exponit ὁ Θεός, ὁ Θεός: εὐὰ, μείζων: κερβάρ, ἡ μεγάλη, εἶ-
 τεν ἡ Σελήνη, καὶ Ἀφροδίτη. *ALLA, ALLA, Deus, Deus,*
OVA, maior; CVBAR, magna; puta Luna & Venus. Quem
 tamen, vt obiter notem, *παρερμηνείας* in voce εὐὰ CL. Seldenus,
 Meursius, Vossius, Kircherus arguunt; qui non per μείζων, sed,
 more Hebræorum, per copulam *ET* exprimendam esse, docent;
 ut sensus sit: *DEVS, DEVS, ET MAGNA ILLA, DEVS!*
 Hunc tamen excusat, & locum luxatum restituendum arbi-
 tratur, magnus quondam Salanæ huius Theologus *IOHANNES*
TOBIAS MAIOR, Comment. ΠΡΑΞΑΠ. cap. VII. ab Anglis &
 Belgis, delicatis alias nationibus, in æstimandis Germanorum
 scriptis, tot elogiis maculato. Audiatur etiam de hac Arabum su-
 perstitione insignis Anglorum pansophus *SAMVEL BOCHAR-*
TVS, 3) qui plurima erudita prolixitate tradit, e quib. paucula hæc
 laudasse sufficiat: *Cubar*, *קבאר*, inquit, proprie *MAGNVS* est, idem
 quod *קבאר*, unde *καβερβοι*, *Dii potentes in sacris dicuntur; sed illi LV-*

NAM invocant. Huic Cl. Hottingerus, meliori fato dignissimus, assentitur, sic scribens; 4) *Est proprie ככר femininum, MAGNAM significans, qualis erat Luna, seu Venus; has enim promiscue sumi, recte observat Bochartus.* Nec aliter rem se habere,prehendimus, si Astrorum cursum spectemus: Nam, si Cubar, aut, vt rectius cum Seldeno loquar, Cabar, Venus, seu Alilat, Noctiluca dicitur, stellam, a Luna distinctam, sane notare haut potest, cum Venus, ex observatione Praeceptoris nostri ERHARDI WEIGELII, 5) virorum rarissimi, ultra XLVII. aut, L. gradus a sole remota nunquam conspiciatur, vt tertiam noctis vigiliam lux eius nullo modo attingere queat. Quod vero Seldenus noster porro existimet, Saracenos etiam Muhammedis licet spurcitiem sint amplexati, hac adorationis formula: *Αλλά εὐὰ καβαε Αλλά* exclamantes, veterem illam Deam propitiam sibi reddere velle; hoc valde suspectum videtur CL. Hottingero 6) *Clamant quidem, dicenti, praecones illorum, preces indisturi, Αλλά ἀκβαε Αλλά, i. e. DEVS summus DEVS, non, vt τὴν καβαε litent, sed potius, vt, unum se DEVM summum agnoscere, profiteantur.* Quod quidem & ipsi Turcae vltro hodiernum agnoscunt. Antequam nouam videamus *Φάου*, Oedipum illum Kircherianum, 7) vel per transfennam, age intueamur adhuc: *Hoc unum, dicentem, ex hisce demonstratis collige. Cabar illam Arabum aliam nullam esse, quam communem illam Venerem Asiaticam, Vraniam Caelestem, quam Aegyptii Isidem, Babylonii Dagon, Derceto, Atergatis, Phœnices Astarten, Graeci nunc Lunam, nunc Hecaten, Lucinam, Dianam, Proserpinam, aut alio nomine, Arabes Alilat vocant, re eandem, nominibus diuersitatem effectuum denotantibus diuersam esse.*

0) Selden. d.l. syntagm. II. cap. 2.

1) Huet. demonstr. euang. proposit. IV. cap. 10. §. 3.

2) G. Cedren. chron. in vita Muhammed.

3) Bochart. geograph. sacra lib. II. cap. 19.

4) Hotting. primit. Heidelberg. p. 407.

5) E. Weigel. in der Fortsetzung des Himmels-Spiegels cap. IX. p. 64.

6) Hotting. H. O. lib. I. cap. 7. p. m. 230. conf.

Dan. Classen. Theolog. Gentil. part. I. cap. 7.

7) A. Kirch. Oedip. tom. I. syntag. 4. cap. 17.

Muha
tan di
cum
rus era
abund
raceno
cet;
cuius m
tem.
aut can
tem, q
era ven
e verti
hamm
loquit
cum c
in hon
ergo a
Deam
ius ten
uantes
teres c
sacrari
cet, inf
gie syst
manus
cula e
ram; l
ro suo
schitis
o) H

Φάσις XVI.

Quicquid vero sit de hac Arabum Dea; Venerem certe, a Muhammedanis Meccæ, in simulacro lapidis cuiusdam, Brachtan dicti, etiamnum coli, quod credant super eum Abrahamum cum Hagar coisse, aut camelum, cum filium Isaac sacrificaturus erat, alligasse, recentiores Græcorum annalium conditores, abunde confirmant. Euthymius Zygabenus in Catechesi Saracenorum o) hæc habet, quæ Latinis verbis adducere placet; *Anathematizo etiam illam ipsam precationis domum Meccæ; in cuius medio iacere, aiunt, lapidem magnum, Veneris effigiem habentem. Honorari autem istum lapidem, quasi Abraham super eo coierit; aut camelum ei alligauerit, cum Isaacum sacrificaturus erat. Eos autem, qui precatum illuc eunt, alteram manum ad lapidem extendere, altera vero suam aurem tenere, atque ita sese circumagere in orbem, donec e vertigine, offusis tenebris, concidant.* Volunt quidem alii, Muhammedem Arabum idola confregisse, id quod Alcoranus ipse loquitur. at quæ est hæc impostoris industria, imo malitia, cum ceterorum idolorum cultum suis inhibuerit, istud tamen in honorem Veneris, apud Meccam urbem, fieri permiserit? Sic ergo a Muhammede in medio relictum est, si forte quis hanc Deam honore aliquo adficere vellet: ne autem simulacrum eius templis inferatur, edicto cauit; cuius ita Turcæ sunt obseruantes, vt nullas prorsus imagines tolerant: quod ipsum veteres quoque fecisse Gentiles, *TOBIAS PFANNERVS*, Vir sacrarum & profanarum antiquitatum, vt Iureconsultum decet, insigniter doctus, in stupendæ lectionis teste *Gentilis Theologia systemate*, Basileæ nuper edito. 1) quæ librum, tum demum in manus meas incidisse, cum potior huius dissertationis pars excusa esset, impense doleo! Cherubinorum tamen excipio figuram; horum enim, vta ciue meo, qui plus simplici vice, cum herofuo, Budæ Hungarorum, sacris Turcarum interfuerat, in Meschitis suis conspici simulacra, relatum accepi.

o) Hotting. cit. d. l. p. m. 234. 1) T. Pfann. d. l. cap. XI. §. 6. p. 298.

Φάσις XVII.

Ex his ergo, quæ diximus, satis adparet, Lunam, Venerem,

rem, Luciferam, quam Saraceni coluere, hic non distinguí; atque ab iis Muhammedanos habere, quod Veneris diem, perinde ac Iudæi Sabbathum, aut Christiani Dominicam suam, religiose celebrent; & eum *Giuma*, i. e. *σάββατον* vocent: 0) atque eo ipso in Moschetis suis congregentur, & cum diuino cultu, totius simul hebdomadis finem faciant. Nullum equidem, Seldeni 1) sunt verba, in Alcorano de eo præceptum habetur; sed ab antiquissimo Saracenorum ritu, exceperere Muhammedani: sextam enim feriam, quam nunc Veneris dicunt, vt, supremæ Deæ sacram, celebrabant; idque faciebant primum, vt opinor, non Vraniam suam, Alilat, seu Cabar, ad Veneris stellam accommodantes, nec quatenus in cælo distincta esset a Luna Venus, ad eum, qui feriarum titulos obtinet, ordinem; verum vt renascenti duntaxat Lunæ, quæ ipsissima Vrania, Cabar, & Alilat, diuinus eo festo honor haberetur. Et lunæ, cum primum institueretur, diem proprie iis fuisse, sentio. Quod hic cum Veneris feria nostra quadret, in causa forsitan est, cur Venerem magis, quam Lunam, præsci, & recentiores Europæorum scriptores, Deam illorum vocitent. Nam & accedente demum ad Saracenorum mores dierum a Planetis denominatione, & eo, qui Noctilucæ dicatus erat, iam Veneris nomen sortito; etiam vt numen illud a cognomine diei, Planeta apud eos, qui, vt fit, primigenii instituti incuriosi erant, nomen obtineret, facile euenire quiuit. Hactenus Seldenus, ad etiã Vossium, 2) & Fulleram, 3) qui D. Hieronymi, & Belluacensis testimonio, idem argumentum prolixè confirmant, quæ singula hic inferere nec interest, nec refert.

0) Voss. d.l. lib. II.

2) Voss. d.p. m. 236.

1) Seld. d.l. cap. IV. p. m. 289. seq.

3) Fuller, miscell. sacra lib. I. c. 13.

Φάσις XVIII.

Sic ergo, cum longe lateque, ceu demonstrauius, per orbem vigeret hic ritus, & apud vicinas vndique gentes; ipsosque Arabes & Saracenos, Turcarum commilitones, frequentare, vt admodum; quam facile, obsecro, fuerat Muhammedi, pleno imposturis hominí, credulis his gentibus, stipendio sub semilitantibus, & qui iam ante Lunæ imaginem in præcipua diuinatione

tione haberent, nescio, qua diuinitatis specie, quo dicto suo obsequentiores reperiret, denuo pristinos commendare ritus, aut saltem, ne tanquam faustum omen insignium vterentur loco, non dissuadere; Atque ita continuo rerum vsu ad posteros etiam peruenerit; ita, vt hac ætate nostra, in vexillis, mensis, tapetibus, cibus, acinacibus, aliisque rebus, tanquam auspiciatissimum rerum gerendarum signum, ab omnibus omnino Turcis habeatur, cuius equidem plane sum persuasissimus. Ex antiquissima igitur orientalium populorum hac selenolatria; & frequenti lunularum vsu, natales Turcicis insignibus repetendos esse, præter Arabes ipsos, principes in re literaria Viri, Iohannes Seldenus, 0) Iohannes Gerardus Vossius, 1) Elias Schedius, 2) Ioh. Christoph. Becmannus, 3) ac qui ante biennium erudito *de Calceis Hebræorum* opere, literato Orbi innotuit, Antonius Bynæus; 4) recte omnino concludere videntur. Quem postremum pro nostra hac sententia, audire nunc iuuat dicentem: *Eodem ornamento, lunæ scilicet effigie, uti consueuerunt Arabes, & ab Arabibus ad Turcas propagata est hæc religio; cuius rei origo non est obscura. Primam gentium Idololatriam, a Solis atque Lunæ & cœlestis machine cultu capisso iam diu animaduersum est a viris doctissimis. Quibus recensitis, ita porro pergit: Imprimis inter Arabum & Saracenorum & aliorum Orientalium Deos Luna fuit in summo honore. Fuerunt enim hæc gentes, a vetustissimis temporibus, Lunæ cultui perquam deditæ. Hinc in eius honorem aurea monilia habuerunt, quæ ad Lunæ similitudinem concinnata erant; Plane uti etiam unum, qui Ecclesiæ Romanæ nomen dederunt, in honorem crucis, aureas cruces inter monilia habent.* Quod IOHANNEM FRISCHMUTH, magnum Philologorum lumen & ingens decus huius Academiæ attinet, eadem plane nobiscum ille sentit, id quod ex grauius eius verbis, quæ alia mox occasione producturi sumus, liquido patefcet.

0) I. Seld. d. l. cap. 4. p. m. 288.

1) I. G. Vossius, d. lib. II. cap. 32.

2) E. Sched. de Diis Germ. syngram. II. cap. 7. p. 271.

3) I. C. Becman. notit. dignit. illustr. dissert. VI. cap. 3. §. 10.

4) A. Bynæus d. lib. I. cap. 9. p. 209. seq. edit. Amsterd. 1682. in 12.

K

Φάσις

74.
Φάσις XIX.

Altera de insignium Turcicorum origine eorum censetur esse opinio, qui vel a natiuitatis die; vel Prophetici muneris auspicio: matrimonio: aut ab ipsa fuga Muhammedis, quam HEGIRAM Arabes vocant: siue mortis etiam tempore, aliisque circumstantiis, horum natales repetunt. Verum vt singula distinctius capiantur, fata impostoris huius, in quibus fulcrum aliquod huius sententiæ inesse putatur, paulo altius ex historiarum monumentis repetemus.

Φάσις XX.

Mubammed igitur, qui & corrupte Mahomed, teste Hottin-gero dicitur, alias Ahmed, Mahomad, Mamed, Muchumed, Machmed, vel Mechemmet dictus, nominis quidem præstantia nemini cedit; at morum prauitate, vitæque corruptione nulli secundus deprehenditur. Nam, vi etymi Arabici, inquit CL. Hottinger, o) idem prorsus est, quod Hebræum אִישׁ חַמְדָּו, vir desideriorum. 1) Græcis Εγγύμι, Latinis Desiderius: quod nomē magni illius barbaro - mastigis Roterodami fuit. Alias a suis adpellatur Propheta, & καὶ ἑξοχὴν Reful, Apostolus. 2) Stolidè etiam credunt, Pseudoprophetam illum Adamo, Mofi, Esaiæ, Christo, familiariter innotuisse; nomenque suum in V. & N. T. exstare, & cum ipso DEO commune habere, mentiri non erubescunt, Taceo sexcenta alia, quæ in gratiam Hæresiarchæ impudice mentiuntur.

o) Hotting. histor. oriental. lib. I. cap. p. m. 13.

1) Daniel. cap. X. v. 11. 19.

2) Martin. Lex. Philolog. ad h. v.

Φάσις XXI.

De Natiuitate vix certi quidpiam in historiarum monumentis reperitur; atque vtinam impia eius dogmata tam ignota forent orbi, quam ignotus hucusque fuerat annus. Sethus Caluifius & Iosephus Iustus Scaliger o) in annum Christi DLXX. d. 5. Maii reiciunt. Alii in DLXXX. nec non DCXX. eandem referunt. De anno, mense & die, sic scribit Elmacinus: 1) Natus est Mubammed circa auroram diei, LVN AEsare, en primum huius opinionis fundamentum! qui octauus erat

Rabii

Rabii prioris : cui respondet e mensibus Romanorum dies XXII. mensis Nisan , anni octingentesimi octogesimi secundi, Alexandri M. Dilkarnain, Abu Maafar, Arabs, ait : necessario Muhammedem nasci debuisse in fine noctis quando ☉ medium cœli teneret ; media nocte vero meridiam transiisse signum ♃ : Cum vero de anno, mense & die, DATA alia non suggererit Scriptor ille; nos, ex recepta ab ipsis etiam Arabibus sententia, THEMA GENE-THLIACVM, ductu TABULARVM, quas Iohannes Keplerus, felicissimus ille Mathematicorum, sub auspicio Imperatoris RV. DOLPHI adornaue- rat, erigere Muhamme- di non grauabimur : vt cognito cœlestium cor- porum situ, faciè dein, cui id volupe, NATIVITATIS quoq; IVDICIVM adiciere valeat. Nobis enim, qui biduum fere supputandæ huic cœli faciei insumimus, & temporis habenda est ratio, & operam porro male locare, pœnitet.



o) Scaliger emendat, temporum 1) Hotting. citant. H. O. lib. 1. lib. II. de anno Hegire. cap. 6. p. 217. seq.

Φάσις XXII.

Parentes eius quod attinet, de his itidem non conuenit inter historicos. Sunt nempe, qui de stirpe & tribu contempta atque leui, patre quidem gentili, matre vero Iudaicæ religionis femina, profatum scribunt. o) Verum cum & historiarum authenticarũ auctoritate, solidisq; rationibus probari id nequit, nolumus generis claritatem, quam forte cum Satana hærefiar-cha, aliisque suæ fecis communem habuit, eidem inuidere; quemadmodum nec a matre Iudæa prognatum, eaque religio- ne imbutum fuisse, adserere possumus : quod Arabes certas ha-
beant

etur
eris
m.
re,
fin-
ful-
s ex

tin-
med,
ce-
adus
nge-
vir
omē
fuis
de
saix,
N.T.
on
rchæ

v.

mo-
tam
nus.
num
non
lma-
E sa-
us erat
Rabis

beant tribus, e quibus, Iudæorum exemplo, *σὺμΦουλον* sibi quisque uxorem ducit, morique huic tam superstitiose inhæreant, quam qui maxime. quæ etiam orientalium rerum insigniter docti, Cl. Golii sententia est. 1) Rectius ergo hominem e nobili *Kedarenorum* familia, quæ a *Kedar*, Ismaelis filio, Abrahami nepote, 2) natales repetit; patre quidam *Abdalia*, principe Meccensium ciue; matre vero *Emina*, vtrisque gentilibus, cum Iohanne Andrea 3) profatum dixerimus. Quia vero Kedareni, seu *Koreschitzæ*, idola *Alath*, seu *Venerem*, quam & *Cubardici*, supra euicimus, colebant; 4) dæmonibus in stellis imperium deferebant; 5) resurrectionem mortuorum negabant; 6) nec a *τεκνοθυσία* abhorrebant; 7) extra omnem dubitationis aleam est, Muhammedem, antequam *ιδέας αἰρέσεως* nouæ ex orco reuocaret, cum agnatis suis, quos inter degebat, eadem quoque agnouisse sacra.

o) *Lud. Godof.* archontol. cosm. hammed. cap. I. pag. 1. seqq.

1) *Hotting.* d. l. citante, p. m. 205. 4) *Hotting.* H. O. lib. I. cap. 7.

2) *Gen. XXV. v. 13.* conf. ad h. v. 5) *Idem* d. l. p. m. 237.

P. Megerl. theat. hist. p. 195. 6) *Idem* ex *Alcor* d. l. p. m. 238.

2) *Iob. Andrea* confus. sect. Mu- 7) *Idem* d. l. p. 244.

Φάσις XXIII.

De patria Muhammedis nulla fere inter Geographos viget controuersia, sed Mecca, Arabiae desertæ acropolis, statuitur, quæ tantæ amplitudinis, vt nobilissimum Belgarum emporium, Amstelodamum, facile adæquet. o) In ea ergo vrbe aut vico ei adiacente *Itarip*, hæc totius orbis pernicies in lucem, o vtinam æternis in aluo materna tecta mansisset tenebris! exposita fuit; quam ob id Christiano ingredi, plane capitale est. Templum, quod in ea conspicitur, ab Ismaële excitatum, credunt, tanta maiestate, vt Hierosolymitanum superare glorientur, quod cebris peregrinationibus mire nobilitant: ostendunt illic quoque fontem, ad quem Hagar cum Ismaële confedissee dicunt, & quæ aliæ huius fursuris sunt ineptiæ. Cum igitur in hoc mundi angulo, in ædibus aui sui *Abdolmutleb*, (parentes enim cito amiserat) & hoc defuncto, patruum, sic adoleuisset

uisset Muhammed, consultum ille duxit, eundem, ob rem angustam domi, nam paupertatem nec ipsi Arabes in Propheta suo inficiantur, ut ea, quæ ad victum & cultum pertinent, mercenaria sibi opera comparet, aliorum ablegare. Chadighæ proinde, diuiti feminae, in eadem vrbe, quo agafonis, aut camelarii munia obiret, & varias merces Syriæ, 1) Palæstinæ, 2) Ægypto, 3) aliisque locis importaret, in seruitutem oblatus est. Hac itaque occasione, misellus iste mediastinus, Iudæis pariter & Christianis passim innotuit. Tradunt historici, 4) nauibus mercatoriis, in ipsam vsque Europam penetrasse, & in Hispania ab Isidoro Hispalensi, ex physiognomia, ceu turpem, Ecclesiæ labem, agnitum fuisse. Misera tum temporis orbis Christiani erat facies: Ecclesiæ vnitatem Nestoriana & Ariana lacerabat hæresis: Monotheletæ præmia magis ab Heraclio Imperatore expectabant, quam exilia: 5) in Romano Imperio dominabantur serui: quæstores Heraclii stipendia Saracenis, quorum opera in bellis vsus erat, soluere non modo recusabant; sed etiam contumeliis eos irritabant, dicentes: 6) *Romano Græcoque militi difficulter dari posse stipendia, nec superesse pecuniam, quæ huic tantum turbæ obiiciatur.* Hac iniuria & atroci responsione, a qua etiam est, ut obiter moneam, quod canum titulo Christianos insignire soleant Turcæ, quando illi ab his prius insigniti fuerant, commoti Saraceni, magna aduersus Imperatorem odia cumulabant, & cum natura ad defectionem & latrocinia essent procliuēs, oppida, Damasco vicina, subito diriperunt, excussoque Romanorum iugo, Muhammedem, ex crebris itineribus familiariter notum, Ducem sibi creauere; qui postquam artibus magicis, heram suam in vxorem duxisset, largitionibus seditiosorum animos facile sibi conciliabat, & quo firmitior esset animorum consensus, religionum dissidia, quæ misere, tum Christianorum vires atterebant, prorsus tollenda, aliudque doctrinæ genus, concordiaæ vtile, eligendum esse, omnino suavit. Vnde mox cum natus esset annorum XL. de nouo dogmate cogitare, vitulumque illum, quem Alkoranum, vocant, Iudæorum, ut fertur, & Monachorum quorundam, ob hæresin Byzantio pulsum, ope, in ipsos etiam Iudæos & Christiana-

Christianos iniuriosissimum scriptum, mirabili mixtione conflare cœpit. Astronomum insuper quendam, Iudæum natione, auxiliatrices contulisse manus, Centuriatores, quos vocant, Magdeburgenses prodidere; sed ἀστρονομικόν ἔργον resipere, mihi Muhammedica illa scripta non videntur; nisi forte aniles de astris fabulas pro Euclideis velis agnoscere demonstrationibus. Ut autem idolum hoc eo promptius sequerentur, uxori primum, mox amicis & vicinis, diuinas reuelationes, priuataque cum Gabriele Archangelo, de diuersis ad religionem, spectantibus, colloquia sibi intercedere, persuasit; ita quidem, vt quoties morbo caduco, cui, teste Zonara, 8) obnoxius erat, prostratus laberetur, casum suum splendori angelico, quem erecto corpore ferre non posset, tribueret. Atque hac ratione, & a suspicione epileptici morbi apud coniugem suam liberabatur; & apud potentissimas Meccæ familias, in summam admirationem, breui interuallo, peruenerat, vt hoc Diuinitatis & Religionis prætextu, mira que hominum animos sibi deuincendi arte, ingentia mox moliri & amplissimos Principatus & Imperia tantum non deglutire videretur.

0) Erpenius de L. Arab. orat. II.

4) Wolff. L.M.A. 630. T.I. p. 178.

1) Baron. A. DC XXX. n. 1.

5) Baron. A. DCXXIII. n. 24. seqq.

2) Abanaz. citante Hotting.

6) P. Diacon. lib. XVIII. p. m. 973.

H. O. lib. II. cap. I. p. m. 318.

7) Elmacin. ap. Hot. d. c. IV. p. 399.

3) Cedren. in Heracl. vita.

8) Zonar. annal. tom. III. p. m. 70.

Φάσις XXIV.

Quum autem proceres Meccenses subdolum ciuis sui animum, nouam religionem cudentis, ac monarchiam molientis, animaduenterent, præueniendum his motibus nouis censuere, Muhammedemque, seditionis, sub prætextu religionis motæ, accusatum, conuictum & tandem damnatum, e medio tollendum esse decreuerunt. Ille vero de periculo instanti monitus, per Gabrielem Archangelum id factum nugatur Abumazarus, 0) pedibus salutem quæsiuit, Medinam, decem dierum itinere Mecca distantem, confugiens. Quemadmodum, vero alias, a re maxime notabili, & annorum supputatio institui,

stitui, & omina quæuis inde depromi solent, vt cum Iudæi a mundi creatione; Græci a prima Olympiade; Persæ a Yezdeierdo Rege, 1) Romani ab vrbe condita; nos Christiani vel a nato Salvatore; vel etiam æra Diocletiani, quæ dicta est *ÆRA MARTYRVM*: ita & Muhammedani, qui sicut in aliis, ita in hoc ipso Christianorum sunt simiæ, ab hac ipsa hominis *FUGA*, quam *HEGIRAM* dicunt, quod nihil aliud est, quam martyrium, aut *διωγμὸς ἕνεκ τῆς θρησκείας*, *persecutio religionis causa*, Epocham suam, & si quæ alia, auspicantur. Contigit autem auspicatissima Plani illius Fuga, ex accurato illius magni *μυσηγέτης*, Iosephi Scaligeri 2) calculo, anno *CHRISTI DCXXII*. Nam quod B. Ægid. Strauchius in *Breuiario Chronologico*, 3) ad annum DCII. hanc referat, & omnium quidem, ceu ipse putat, consensu, modo non typhothetæ incuria id factum, vnde expiscatus sit, ipse viderit, D. XVI. feria VI. initio mensis Muharam, anni Arabici, biduo scilicet post verum Lunæ coitum, cum iam *CORNICVL ANTEM* in cælo referret faciem. Vnde, inquit illustrissimus Scaliger, 4) *sine dubio hodie omnes Muhammedista in fastigiis summis turrium illarum, e quibus Lunam nascentem speculantur, imponunt Lunam corniculatam pro insigni, quemadmodum Christiani crucem*. Seriam quin credam incomparabili heroi & omnigenæ eruditionis cornucopiæ, hanc fuisse mentem, illud me hæere facit, quod in prima aurei illius de *E-mendatione temporum* operis editione, quam præ manu habeo, admodum nitide Parisiis excusa A. M D XXCIII. hæc verba plane non habeantur; nec in Batava Lugdunensi, quæ post viri obitum lucem adspexerat, conspici, magni amici gratia, Lipsia edoctus sum: meo vero codici, *Colonia M DC XXIX*. typis Rouerianis expresso, ea, qua supra adposita sunt serie, p. 137. seq. leguntur. Non ignoro, opus illud subinde correxisse, auxisse, mutasse virum, vt sit in nouis argumentis, præsertim iis, quæ chronologicas attinent controuersias, an vero & hæc ab auctore inserta fuerint, nihil certi adfirmare habeo. Illud scio, celeberrimū Seldenum, & I. G. Vossium, E. Schedium, nec non I. C. Becmannum, locis supra allegatis, neutiquam adfentiri Scaligero, ab Ismaëlitis, eorumque posteris, quibus Luna & cultus

&

& ornamenti loco fuit, longe rectius deduci posse, existimantes. Non inficias quidem iuerim hodomoriam Spiritus Turcici, *Feriam hanc*, quam olim Ægyptii, & qui in serie chronologica hos antecessere Chaldæi, 5) vario superstitionum ac vanitatum genere Veneri sacrauere, 6) ob *Fugam Hodegi sui*, Sabbati vt ita dicam loco, coli haberique; & in eo Christianos forte imitari, qui Dominicam seu Solis Diem; quod Saluator noster, *Iustitia Sol*, 7) resurgendo a mortuis, varios gloriæ suæ radios, ea die manifestauerit: Apostolis sæpius adparuerit: Paracletumque Sanctum Spiritum; publice iisdem miserit, ex Christiana libertate, diuinis ob id exercitiis, celebrant, an vero ob eandem Ducis sui *Hegiram* Affectæ eius, Lunæ imaginem, quæ in cornua curuata, in cælo tum conspicienda aderat, ad folenne symbolum suum rapuerint, non sine causa aliquis ambigat. Non insulto Phœnici literarum, quandoquidem, eius coniecturæ, hunc in modum euolutæ, magnam probabilitatis speciem præ se ferre videantur; sed quum Academiae Seniori, ipsaque niue candidiori animæ, *CL. FRISCHMUTH*, aliunde huius instituti originem repetere, visum fuit, Scaligerianæ hæ structuræ sunt nullæ. Quod si porro quis obiiciat, Venerem & Lunam, toto inter se cælo distare; & *Hegira* quæ Veneris die contigit, pro symbolo Lunæ, quo infideles vtuntur, fulcrum inesse nullum, nullum probabilis faciendæ coniecturæ fundamentum: ille quidem, si Astronomos audias, non ita inepte exceperit; nisi in Theologia Gentilium Venus & Luna pro uno eodemque & haberentur & colerentur numine, quod *Φάσις* XVII. huius sectionis, magnorum Virorum, testimoniis, signate satis pandebat. Tandem promissi nostri non immemores, graui edicto *IOHANNIS FRISCHMUTH*, *PATRIS* loco, omni studio & officio merito venerandi, quicquid huius est opinionis, absoluemus; quando in laudata dissertatione ita inquit: *Dissentit princeps ingeni & doctrine Iosephus Scaliger libro II. de Emendatione Temporum & III. Canon. Isagog. Sed curisime in tantorum virorum discrepantia, cum Seldeno adferimus, ipso Mubammede vetustiore lunularum apud Saracenos honorem, usum & cultum fuisse. Id quod non modo ex lunæ figura & antiquitate pa-*
ret,

*tet, verum etiam ex eo, quod lunulae priscis Ismaelitarum Regibus eorum-
 que camelis singularia essent ornamenta, & tanquam gentis sua symbo-
 la. &c. De annis Hegiræ illud ex Astronomicis adhuc notan-
 dum, mere lunares eos esse, dies C C C L I V. horas VII. mi-
 nuta X L I I X. secunda XXXVI. complecti: & menses non ab
 ipso interlunio, sed biduo, aut ad summum triduo, a primo
 Φάσεως Lunæ conspectu, inchoari. Inde est, quod Arabes dies
 a vespera ducant, quod apud alias etiam gentes lunaribus vten-
 tes mensibus obtinet. Incidit vero præsens annus MDCXXXCV.
 in annum Hegiræ M X C I I I. Confer de annis Hegiræ eo-
 rumque genuina supputandi ratione illustrem Scaligerum in
 laudato eius opere; nec non P. Abramum in V. Test. Pharo. 8.)
 Qui ex ipso pseudoprophetiæ tempore primordia repetunt, id
 obtexunt, quod die Lunæ primum vaticinari, rectius dixeris
 spiritu vertiginis agitari, cœperit Muhammedes. Sic namq; de eo
 Elmacinus, 9) famosus historiæ Saracenicæ scriptor: *ut autem
 complevit, XL. annum, fuit ad munus propheticum vocatus, die Lunæ,
 qui secundus erat mensis Rabbii prioris. anno D C C C C X X I I. Alexan-
 dri M. qui erat vigesimus regni Cosree, f. Hormistæ, filii Nuscherouani.*
 Alii vestigium aliquod, pro origine horum insignium, in eo la-
 tere putant, quod Luna sacra die, si Venus & Luna pro eodem
 habeantur numine, coniugium cum hera sua Chadigha, & hac
 defuncta, cum Rakia, ut de aliis fileam, eadem die, inierit Mu-
 hammedes. Quo sane in exemplo retinendo ita superstitiosi
 sunt Turcæ, ut nuptias minime ex voto fore credant nisi die ist-
 hac instituantur apud se celebrenturque. Eandem Lunæ diem
 emortuaalem fuisse pseudoprophetæ huic, Elmacinus & Patri-
 cides, Historici Arabes, prodidere: 10) *Obiit autem, scribit ille,
 Muhammedes die Lunæ, qui duodecimus erat mensis Rabbii prioris,
 cum natus esset annos sexaginta tres, aut secundum alios sexaginta quin-
 que. Et Patricides: Anno undecimo imperii Heraclii, mortuus est
 Muhammed, filius Abdallæ, Propheta Musliminorum, die Lunæ, qui e-
 rat secundus mensis Rabbii prioris, anno fugæ undecimo, sepultusque est
 in domo sua, in qua etiam obiit. Sed vanum & futile est, quicquid ar-
 gumentorum ex natali, nuptiali, emortualique die Muhamme-
 dis, pro flagitium hominis! fabulosa Historicorum fide, de-**

L

promi-

promitur. Splendidius nugari se putant, qui ex miraculo, quod in Lunæ corpore patrasse eundem dicunt, auctoritatem huic opinioni conciliare student. At quis figmentis non accenseat, ea, quæ & omni veritate historica destituuntur; & humanæ rationis terminum plane transcendunt? Mire tamen Turcæ se efferunt miraculis Muhammedis, atque in ebuccinandis iisdem admodum sunt largi, proram puppimque argumentorum suorum in eis collocantes; quando ex quolibet Antesignani sui figmento, aut somnio miracula exsculpere laborant, imo quicquid in buccam modo venit, pro miraculo stolide illico effutiunt; quin & ea sæpe adferunt, quæ vix Dæmon ipse eructare ausit. Nam, non modo DEI, Saluatoris nostri, Prophetarum & Apostolorum signa & prodigia, filio huic perditionis impie adscribunt, dum miserum Vatem suum, tanquam corniculam, alienis plumis vestire student; sed pleraque etiam vaticinia de Messia, vt CL. Hottingerus refert, 11) propudio huic hominum, inique adplicant, & nescio quibus fabulis, fœdissime conspurcant. Cariores autem sunt chartæ, quarum ob informem hiemem & infuetam prorsus æstatem, superioris anni, magna nunc est raritas, quam vt Diaboli hoc stercore maculentur. Illud tamen de scissione Lunæ, cum ad rhombum, ex sententia multorum, plurimum facere videatur, vbi Beidauum 12) domesticum testem, prius de eo audiuerimus differentem, pluribus mox adducemus. Ita vero ille: *Adduxit signa Propbeta Mahomed, qualia nemo: eaque varia, ad tria millia & amplius, & si nihil præter solum Alkoranum, satis hoc foret ad eximiam excellentiam supra reliqua, quæ Propbeta adduxerunt; nam ille miraculum est, quod in secula durat, præ omnibus aliis miraculis.* Sed perge mentiri Beidaue, probe enim didicisti, perge porro: *Adpropinquauit HORA, & scissa est Luna, cum infideles miraculum ex Apostolo DEI quaesiuissent: Et viderunt signum, recesserunt & dixerunt, magia hæc est continua. Alii tamen volunt, sensum esse, die demum resurrectionis lunam iri scissum.* Ad hæc verba sæpe citatus Hottingerus: *Pbrasin, commentatur, qua Spiritus Sanctus tremendum ultimo diei iudicium describere placuit, & totius vniuersi ἀνάλωσις oculis nostris subiicere, suo quoque Alkorano inseruit Muhammed: vnde & vltimum iudicium hoc loco, retenta Scriptura*

ptura

pturæ voce, *HORAM* adpellat. Quam mali Alkorani Interpretes, ut
 miracula etiam habeant, de re iam gesta intellexerunt. Quæ fabula ni-
 bil est insulsius. Alii, mutatis quibusdam circumstantiis, paulo
 aliter fabulam hanc narrauerunt: Muhammedem scilicet, Lunam
 cælo aliquando deduxisse, quæ, cum decidendo in præruptum,
 impigisset montem, scissam bipartito, ac versus alterutram
 montis radicem delapsam fuisse; hanc Muhammedem, diuina
 denuo virtute, & compegisse in vnum, & pristino in cælis loco
 restituisse; adeoque animabus in religione sua morientibus vi-
 am ea ratione in cælum strauisse, insulsissime tricantur. Hoc
 videlicet calle itur ad cælum: hoc Duce ad beatitudinem opus
 est, eam scilicet, vbi, verbis quidem Tragici, in Herc. furente:

— cuncta mœrore horrida,
 ipsaque morte peior est mortis locus.

Emunctior tamen naris Turcas, false hanc scissionem deri-
 dere, & recensendo eandem mire tergiuerfari, Theologus de
 Ecclesia CHRISTI præclarissime meritus, Ægidius Hunnius
 testatur. 13) Quinimo Præceptor nostro, *B. IOH. ADAMO
 SCHERTZERO*, Theologo Lipsiensi, longe aliam de scissione
 isthac fuisse mentem, probe me audiuisse memini; & scripta 14)
 incomparabilis Viri id ipsum abunde loquuntur. Ceterum,
 cum ficta hæc Muhammedis miracula, nil solidi roboris
 sententiæ huic addere videantur Viro Græcis & Latinis literis
 excellenter docto, *IOH. FRIDERICO KOEBERO*, 15) illustris
 Ruthenei Rectori, minime diutius his fabulis immorari con-
 sultum ducimus.

- | | |
|--|---------------------------------------|
| 0) Hotting. citante d. lib. II c. 5. | 8) P. Abram. d. lib. LXX. quæst. |
| 1) Æ. Strauch. d. c. XLVII. §. I. | 12) p. 410. Parisiis 1648. fol. |
| 2) Ios. Iust. Scalig. d. lib. locoq; | 9) Hotting. cit. d. c. IV. p. 399. |
| 3) Æ. Strauch. d. c. XLVI. §. I. | 10) Idem d. cap. V p. 448. |
| 4) I. I. Scalig. libro locoq; cit. | 11) Idem Hist. Eccl., part. I. c. 7. |
| 5) Bapt. Egnat. ap. I. Gruter. the-
saur. Crit. Tom. I. p. 345. | 12) Idem H. O. lib. II. c. 6. p. 489. |
| 6) H. Conring. Herm. Medic. p. 397. | 13) Æ. Hunn. Tom. V. oper. disp. 54. |
| 7) Malach. cap. IV. v. 2. | 14) I. A. Schertz. Progr. V. p. 46. |
| | 15) I. F. Kæber progr. 1683. edit. |

Φάσις XVIII.

Alii *LVNÆ* effigiem, inter præcipua Turcarum insignia, occasione somnii, ut in Pandectis Leuenclavianis narratur, non sine probabilitatis specie, primum vsurpari cœpisse contendunt; quod Ertucules, primus Turcarum Imperator, Edebali, Vati inter ipsos sanctissimo diuitissimoque, in hanc sententiam exponit: *Venerande vir, aiens, per quietem visus sum videre splendorem Lunæ, prodeuntem e sinu tuo, qui meum in sinum penetraret. Eo cum delatus esset, ex umbilico meo mox enatam fuisse arborem, quæ regiones aliquot, & præaltos montes, latosque campos umbra sua tegeret. Ad ipsas autem radices arboris, perennes aquas emanasse, quibus vineæ passim ac horti rigarentur, ac secundum hæc experrectus fui.* Edebales, postquam diu multumque, ob interpretationem somnii, se torsisset; tandem oratione ad Ertuculem conuersa: *Nascetur tibi filius, inquit, vir optime, cui nomen erit O S M A N. Is bella plurima geret, ac posteri tui deinceps Reges terrarumque Principes erunt. Mea quoque filia nuptum est Osmano, ex qua procreabit ille liberos, qui regiam ad dignitatem peruenient, ac populis cum imperio præerunt, atque is splendor est, qui e sinu meo prodiit, & in tuo coiuit, ut ex utroque arbor illa excresceret.* Eandem siue historiam, siue fabulam, celebris ille sapientiæ & literarum Antistes, Iustus Lipsius, 1) mutatis non nihil circumstantiis, recenset, quam hic inferere, nil attinet; præsertim cum ex eo loco de Lipsii mente, num priori suæ de origine horum insignium sententiæ, quam mox allaturi sumus, renunciauerit, ac præsentis subscripserit, certi quidpiam exsculpere vix liceat. Minime autem falsam Plani huius interpretationem fuisse; postquam, ob perniciosam Christianorum Principum discordiam, Turcæ imperium orientis, eiusque acropolin, Byzantium, mox occupassent & potestati suæ subiecissent, euentus proh dolor! docuit. Hanc Leuenclavianam enarrationem amplecti etiam videtur Basileensium insignis ille Philologus & Lexicographus, Ioh. Iacob. Hoffmannus, 2) *LVNA hodie DIMIDIATA*, inquiens, præcipuo inter Turcas honore, eorum proin insigne est: an ex occasione somnii, quod primi imperii Turcici Conditoris genitrix, Lunæ splendorem e sinu suo prodire in uniuersum orbem videret. Cui & recentiores plerique subscribunt.

1) Iust. Lips. V. monit. polit. 2) I. I. Hoffm. in lexic. Vniu. v. luna.

Φάσις XIX.

Denique plausibilis etiam illorum est opinio, putantium, tanquam signum victæ gentis Byzantinæ, Semilunam hanc in Turcarum armis primum fuisse conspectam. Plenius id nos edocebit Franciscus Menenius, o) quem iam audire placet, *Illam Semilunam Turcarum, inquit ille, quod genti solenne militiæ signum; quasi Romanis aquila est, originem a Byzantinis habuisse, constat, teste omnis antiquitatis vindice, Iusto Lipsio, qui primum illud apud nobilem virum, Augerium Gislenium Busbequium, ex legatum Byzantinum, & in aliis numis se observasse, tradit. In quorum scilicet parte luna media esset cum inscriptione BYZANTIΩN. Itaque ut Athenienses noctua, aliarum gentium aliud insigne fuit, sic Byzantinorum luna, quam magnus ille Rex, magno Christiani nominis malo, in signa sua transtulit, signum victæ gentis, penes quam orientis imperium esset. Hactenus Antuerpianus ille. Ipse Belgarum siue Tacitus siue Seneca, gente & mente nobilissimum virum, Augerium de Busbecke, in *Questionibus suis Epistolicis, 1)* hunc in modum affatur: *Adsentior Tibi, vir nobilissime, illam semilunam Turcarum, quod Genti solenne militiæ signum, quasi Romanis Aquila est, originem a Byzantinis habuisse. Vidi apud Te primum, & postea complures numos aeneos, in quorum parte luna media esset, cum inscriptione. BYZANTIΩN. Illud circa hoc Lipsii testimonium mirari lubet, non plura huius tenoris numismata, tanto temporis interuallo, ab Imperatoribus Byzantinis cusa fuisse, quo præter Lipsium, in omni ceteroquin antiquitate versatissimum virum, aliis quoque exemplar aliquod obtingere potuisset. Nam, neque apud Petrum Lambecium, LEOPOLDI AVGVSTI Imperatoris Bibliothecarium, qui Wiennæ, ex scriniis Cæsareis, quibus Busbeckiana illa iam pridem accesserant, Orientalium Imperatorum numismata publici fecit iuris, siue volam, siue vestigium eius rei reperio. Neque apud Carolum du Fresne, Gallorum πολυμαθέστατον, qui sub calcem stupendi operis, cui *Glossarii Latinitatis ad scriptores mediæ & infimæ ætatis, nomenclatura indita est, in peculiari, eaque satis proluxa diatriba, Byzantinorum, seu inferioris ævi numismata, vel cum pulvisculo, ut est in adagio, se-***

dulo corrasisse videtur, vlla penitus eius rei mentio habeatur. Equidem non ignoro Ezechielem Spanhemium, in eruditis *de numismatibus dissertationibus*, eandem cum Busbeckio tueri sententiam, quum Luna falcata, Romanos pariter & Græcos, non instaurationem modo Regnorum designasse; sed & pro genuino imperii caractere habuisse scribit: 2) *Vnde videas in denariis aliquot gentis Petronie, hinc Augusti effigiem, illinc Sirene, Pegaso, FALCATA LVNA cum STELLA, designari Neapolis, Corinthi, ac vt primi obseruamus, Byzantii instaurationem. Postremum certe luculenter arguunt alii nummi, in quibus depictum vulgo illud Byzantinorum insigne, nomine eorundem adscripto. Cuius rei fidem facient sequentia ectypa, primum denarii illius, cuius meminimus, alterum nummi a Byzantinis percussi, cum inscr. BYZANTIΩN.*



Sed quod pace tanti Viri dixerim, nescio, an *FALCATA LVNA* Cpolitianorum insigne vnquam fuerit, quandoquidem rerum Byzantinorum scriptores, quos ea de causa euoluimus, plane si leant. At inquires, ergo numismata, tanquam indubitata fidei testes, in historicis non licet conuenire? ergo numismatibus præsidium in historicis nullum? nullum rei indubitata documentum? Non hoc quidem cum Becherero, 3) qui huiusmodi reliquiis antiquorum, melioris licet æui, & a literatis, linguarumq; probe gnaris, quas genuinas notas in his talibus Lipsius 4) requirit, in lucem protractis, adseruerim; vt ut numismata, & inscriptiones pseudographas reperiri, inter eruditos satis cõstet; quibus, si in omnibus adhiberetur fides, tota veterum peruerteretur historia, & quæ certissima, pro falsis omnino haberentur, id quod nec ipse CL. Spanhemius, in laudato Opere, 5) diffitetur. verum quod in re tanti momenti, vnus alteriusue nummi

mi auctoritate solum niti, admodum videatur lubricum. In Romanorum quidem numis, Lunam conspici, recte sane iudicat, felicissimus numerorum Interpretes, illustris Spanhemius. Præsto enim sunt *C. IVLII CAESARIS, FAVSTINÆ*, aliorumque, cum *LVNA FALCATA*, quorum icones Iacobus Oiselius IC. in *selectorum numismatum thesauro*, exhibet. Præsto sunt *NERONIS*, cum *CLAVD. OCTAVIA AVGVST.* quæ in Cimiarchio Christinæ, Suediæ Reginæ, Romæ nactos se esse scribit laudatus Spanhemius. 8) Eiusdem etiam notæ, at exquisitæ raritatis numos, *ADRIANI AVGVSTI*, in florida hac *IENENSI*, ex præstanti metallorum genere, magnaue artis elegantia, vera quorum diameter erat A B. adiecti schematis, summi Viri gratia, qua immerentem me complectitur, *GEORGII WOLFFGANGI WEDELII*, Patroni e paucis, in Museo illius videre licuit; cuius ectypum, inde deperitum, iuuabit hic quoque diuulgare.



Dum faciem, a numerorum scriniis, auertere conamur, ecce *HERACLII IMPERATORIS* numus, oculis nostris se inserit, cui cum grande Spanheimianis coniecturis pondus addere posse eruditorum plerique existimant, omnino inspiciendus fuit. Visenda illic in parte inferiori *LVNA CORNICVLATA*, seu crescens, quæ Imperatorem pene totum cingit, cui lunæ, perinde ac ipsi numo, in medio circaque marginem, vt de aliis circumstantiis fileam, Græci partim, partim Latii idiomatis, variæ inscriptiones adhærent. Cum vero, & maxima illius numi forma; (diameter enim ex Lipsii atque Oisellii delineatione, quartam Rhenani pedis partem exsuperat) & mira artis elegantia, posterioris sane æui artificis manum liquido prodat; quin & inscri-
ptio

Q. A. M. 594

ptiones illæ, cultius profecto, quam Heraclii fuit seculum, sapere videantur, quicquid eius est numi suspectum merito iudicatur. Prolixius hæc quidem diduxeramus, sed ob chartæ angustiam, ipsi iterum expunximus, dicturi de his singulis, peculiari in dissertatione *de Numo Heraclii hypobolimeo*, quem æri simul affabre incisum, cum lectore propediem comunicabimus.

- o) *Menen*. in delic. ord. equ. p. 166.
- 1) *Lips.* d. l. I. epist. 16.
- 2) *Spanh.* d. dissert. VI. p. 556.
- 3) *Becher*. Antisched. apolog. c. 33.
- 4) *Lips.* var. lect. lib. II. c. 14.
- 5) *Spanh.* d. p. 13, it. 33, 35, 54.

Φάσις nouissima.

In tanta igitur sententiarum discrepantia, liberum quidem unicuique, quam voluerit opinionem amplecti; prima tamen, quæ ab ipsis Arabibus, quos supra lunam religiose coluisse euicimus, per Saracenos, Turcarum commilitones, hanc superstitionem, ad eorum posteros propagatam esse docet, omnium verissima merito censetur sententia. Pro qua, superpondii velut loco, illud Alexandri Rosæi, o) in fine Φάσεως legendum; itemque ex Pandectis hoc Leuenclauui, vah quanti Turcicorum arcanorum scrutatoris! annectere hic lubet: *Turcos, Lunam imperio suo quasi fatali quadam lege propitiam & auspiciatam, mirum quantum habere virium, in portendendis iuuandisque successibus conatum suorum, semper existimasse.* Quod inter alia Solymani exemplo Willichius 1) comprobat, qui, Wiennam anno M D XXIX. obsidione cingens, ex conspecta illic in diuo Stephano sacra turri, lunæ imagine, facilem mox Urbis sibi deditioem hario labatur. Alii tamen, vana traditione, lunæ simulacrum, quod hodiernum illic conspicitur, ex pacto quodam cum Solymano, quod Urbem obsidione soluere prius recusaret, quam in memoriam rei gestæ, insigne hoc suum, in excelsa illa turri, ipse contemplaretur, erectum nugantur. Quam tamen, cum P. Gretsero, 2) superstitionem circa hoc fidus, simplicitati potius, quam impietati Turcarum adscribendam esse, ex ἀνωψία censemus.

- o) *A. Ros.* Beschreib. der Religion. cap. VI. p. 208. Die Türken halten dafür, daß die Sonne/ in ihrem Anfang/ der Mond in seiner ersten Erscheinung/ müssen geehret werden.
- 1) *Iod. Willich.* ad Tacit. Germ. c. 16.
- 2) *I. Gretf.* de festis Christ. c. ult.

os (o) do

1017

UNIVERSITÄTS
HALL
(SAAL)



8906
1/10

M
W
b
i
R
H
t
E
S
t

